



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Decreta Provinciae Mediolanensis Sv̄b B. Carolo Borromeo, Cardinale  
Archiepiscopo, Diuersis temporibus in sex Concilijs, totidemq[ue]  
voluminibus edita

**Speciano, Cesare**

**Brixiae, 1603**

Constitvtiones Aliquae Svmmorum Pontificvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10553**

1

# CONSTITVTIONES

## ALIQVAE SVMMORVM

### PONTIFICVM.

QV ARVM MENTIO SV PRA  
*fit locis suis.*

BVLLA S. D. N. D. PII, DIVINA PROVIDENTIA  
Papæ Quarti. Super ordinatione, & promotione Doctorum, & aliorum  
cuiuscunque artis, & facultatis professorum de cetero  
obseruanda.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.



**I**N Sacrosancta Beati Petri Principis Apostolorum Cathedra, me-  
ritis licet imparibus, hisce procellosis militantis Ecclesie tem-  
pestatibus constitutos, plurimum nos oportet esse sollicitos, vt  
Domini gregem, curæ nostræ commissum, non solum ab apertis  
rapacium luporum vndequaq; caulis obstrepentium insultibus,  
sed etiam a magis formidolosis pestiferarum vulpecularum do-  
mi latantium insidijs, per prouidum pastoralis officij ministe-  
rium, ipso Domino cooperante, præseruemus; ac illis omnes no-  
cendi occasiones, quantum cum Deo possumus, vbilibet auferamus. Cum itaq; iux-  
ta notū Sanctissimi Vatis oraculum, Timor Domini, sine quo vera Religio, & Catho-  
licæ fidei puritas nullibi reperitur, sapientiæ sit initium, & qui, vel in scientijs pro-  
ficere, vel eas alios docere parant supremum illum sapientiæ parentē, benignumque  
largitorē deuoto sanè fidei obsequio demereri, veraq; sinceræ Religionis pietate sibi  
conciliare debeant. Idcirco hanc fidei puritatem scientijs, doctrinisq; quibuslibet  
tū tradendis; tū addiscendis, tanquā necessariā basim, cōstituere; & ne simplicia non  
nullorū adolecentiū, res nouas audiendi cupidorū, ingenia in naufragos blandientiū  
hæresum scopulos imprudenter impingant occurrere cupientes. Motu proprio, & ex  
certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine; qđ deinceps nullus Do-  
ctor, Magister, Regēs, vel alius cuiuscunq; artis, & facultatis professor, siue clericus,  
siue laicus, ac sæcularis, vel cuiusuis ordinis regularis sit, in quibusuis studiōū gene-  
raliū Vniuersitatib; aut Gymnasijs publicis, aut alibi ordinariā, vel extraordinariā  
lectoris Cathedrā assequi, vel iam obtentā retinere, seu aliās, Theologiā, Canonicā,  
vel Ciuilē censurā, Medicinam, Philosophiā, Grammaticā, vel alias liberales artes,  
in quibuscūq; Ciuitatibus, Terris, Opidis, ac locis, etiā in Ecclesijs, Monasterijs, aut  
Conuentibus Regularium quorumcunq; publicè, vel priuatim quoquo modo profi-  
teri, seu lectiones aliquas in facultatibus huiusmodi habere, vel exercere: neq; Do-  
ctores ipsi, aut Vniuersitatum, seu Gymnasiorum eorundem Rectores, Cancellarij,  
vel alij superiores, sed nec etiam Palatini Comites, aut alij particulares facultatem  
eruditos viros ad eisdem gradus promouendi, etiam a nobis, & Apostolica Sede,  
vel alijs vndeunque habentes, scholares, tam laicos, quàm clericos, & cuiusuis ordi-  
nis regulares, vel alios quoscunque quantalibet ereditione præditos, ad vllum  
gradum in eisdem facultatibus suscipiendum recipere, & admittere; Neque Docto-  
res, Magistri, & Scholares, ad electionem alicuius in Rectorem, vel Cancellariū Vni-  
uersitatis, aut Gymnasij procedere: Nec ipsi Scholares, vel alij quantumlibet do-



ſi, & alioqui habiles, gradus huiusmodi, vel eorum aliquem palam, vel priuatim re-  
 cipere valeant, niſi Doctores videlicet ac Regentes, Magiſtri, & alij profefſores iam  
 ad cathedras, & lecturas recepti: in Italia infra tres, extra verò illam infra ſex men-  
 ſes à die publicationis præſentium computandos, reliqui verò ad cathedras & alias  
 lecturas ibidem impoſterum aſſumendi ante illorum receptionem in Reſtoris, vel  
 aliorum ſuperiorum: Eligendi autem in Reſtores, vel Cancellarios ante illorù ere-  
 ctionem, vel ſaltem admiſſionem in Ordinarij loci, vel eius in ſpiritualibus Vicarijs,  
 Ac promouendi Scholares, & alij præfati ante illorum promotionem in eiùſdè Or-  
 dinarij, ſeu eius Vicarij, aut Doctorum, aliorumve promouentium manibus, præuo  
 etiam proceſſu, vel debita informatione, quantum eius ſufficere videbitur, ſuper re-  
 ligione, Fideq; Catholica Reſtorum, Cancellariorum, Doctorum, lectorum, & pro-  
 mouendorum eorundem per ipſos locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios rite fa-  
 cta præcedente, eandem Catholicam fidem, verbis iuxta formæ infraſcriptæ tenorè,  
 conceptis palam, & ſolemniter profiteri teneantur. Et de ſuper inſtrumentu publicu  
 confici, ac de proceſſu, ſeu informatione, & fidei profeſſione in Priuilegio Doctora-  
 tus, vel alterius gradus huiusmodi ſpecialis, ad de verbo ad verbu mentio, & relatio  
 fieri debeat, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuo ſtatuumus, & ordi-  
 namus: Ac omnibus & ſingulis earundem Vniuerſitatum, & Gymnaſioru Reſtori-  
 bus, Doctoribus, & alijs ſuperioribus, ac alijs facultatem doctorandi habentibus, cu-  
 iuſcunq; ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præminentia fuerint, etiamſi Epil-  
 copali, Archiepiſcopali, Patriarchali, vel maiori dignitate, etiam Cardinalatus ho-  
 nore, ac Ducali, vel alia, etiam Regia, & Imperiali auctoritate præfulgeant, ne què  
 in Vniuerſitatibus, Ciuitatibus, Oppidis, vel alijs locis ſibi in ſpiritualibus, vel tem-  
 poralibus ſubiectis, aliter cathedras, aut alias lectiones retinere, conſequi, vel ad  
 gradus promoueri reſpectiue patiantur, in virtute ſanctæ obedientia, & ſub inter-  
 dicto ab ingreſſu Eccleſia, quo ad antiſtites, quo verò ad inferiores, ſub excommu-  
 nicationis lata ſententia, necnon priuationis omnium, & ſingulorum dignitatum,  
 beneficiorum, officiorum, & feudorum Eccleſiaſticorum per eos quomolibet obten-  
 torum, & inhabilitatis ad illas, & alia in poſterum obtinenda eò ipſo per contraſa-  
 cientes incurrendis pœnis diſtictius inhibemus: Ac quaſcunq; receptiones, pro-  
 motiones, electiones, & admiſſiones abſque proceſſu, certa que de Religione, & Fide  
 Catholica notitia, ac dicta fidei proceſſione ſic, vt præſertur, præcedente, pro tem-  
 pore factas, nullas, inualidas, nullius que roboris, vel momenti eſſe, neque cuiquam in  
 iudicio, vel extra ſuffragari poſſe, ſic que per quoscuque Iudices, & Commiſſarios,  
 quauis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuiſlibet quauis aliter iudican-  
 di, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diſſiniiri debere, ac quidquid  
 ſecus à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attemptari contigerit,  
 irritum & inane decernimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus  
 Apoſtolicis, ac Vniuerſitatum, & Gymnaſiorum, ordinum, & locorum quorumcun-  
 que, etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis,  
 ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, facultatibus, & literis  
 Apoſtolicis eiſdem Vniuerſitatibus, & Gymnaſijs, ac ordinibus, & locis, eorumque  
 Reſtoribus, Doctoribus, Superioribus, etiam in temporalibus Dominis, Comitibus  
 Palatinis, & alijs etiam regularibus perſonis præfatis ſub quibuſcunq; teno-  
 ribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatorijs derogatorijs, alijs que effica-  
 cioribus, etiam vim contractus inducentibus clauſulis, irritantibus que, & alijs de-  
 cretis in genere, vel in ſpecie, etiam per nos, ac Sedem præſatam, etiam motu ſcien-  
 tia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ſeu ad quorumuis, etiam Imperatorum, Re-  
 gum, Rerum publicarum, Ducum, & aliorum Principum inſtantiam, & alias quomo-  
 dolibet conceſſis, ac etiam pluries approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam  
 ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis,  
 ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, non autem per clauſulas generales, idem importan-



tes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorū veriores tenores, ac si de verbo ad verbū infererentur, præsentibus pro sufficiēter expressis, & insertis habētes, specialiter, & expresse, motu simili derogamus, contrariis nō obstantibus quibuscunq; . Aut si aliquibus communiter, vel diuissim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Ne autem quispiam præsentium ignorantiam prætere, vel excusationem allegare possit; sed ipsē ad omnium notitiā deducantur; Volumus, & mandamus, quōd eōdem præsentibus in Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ nostræ valuis, ac acie Campi Florē per aliquem ex Cursoribus nostris affixē, copia illarum ibi dimissa, omnes in Italia intra tres, extra verò illam existentes intra sex menses proximos, ab ea die affixionis cōputandos, perinde arctent, ac si illis personaliter intimatæ fuissent. Forma autem dicte professionis Fidei hæc est. **E G O N.** firma fide credo, & profiteor omnia, singula quæ continentur in Symbolo Fidei, quo sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet. **C R E D O** in vnum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum, filium Dei vnigenitum. Et ex patre natum, ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumē de lumine, Deum verum de Deo vero: Genitum, non factum, consubstantialē patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutē descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiā pro nobis: sub Pontio Pilato passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundū scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, dominū, & viuificantem, qui ex patre, filioq; procedit. Qui cum patre; & filio simul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas. Et vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionē peccatorū. Et expecto resurrectionē mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasq; eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & cōstitutiones firmissimē admitto, & amplector. Item sacram Scripturam, iuxta eū sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarū Scripturarum, admitto; nec eam vnquam, nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verē, & propriē Sacramenta nouę legis, à Iesu Christo Domino nostro instituta, atq; ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet, Baptisma, Cōfirmationem, Eucharistiam, Pēnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium: illa quę gratiam conferre, & ex his Baptisma, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesię Catholicę ritus in supradictorum omnium Sacramentorum omnium solenni administratione recipio, & admitto. Omnia & singula, quę de peccato originali, & de iustificatione à Sacrosancta Tridērina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorum sacrificium pro viuis, & defunctis, atq; in Sanctissimo Eucharistię Sacramento esse verē, realiter, & substantialiter corpus, sanguinem, vnā cum anima & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, fieriq; conuersionem totius substantię panis in corpus, & totius substantię vini in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiā sub altera tantū specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs iuuari. Similiter & Sanctos vnā cum Christo regnantes, venerandos, atque inuocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi, ac Dei paræ semper Virginis, nec non



aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsu Christiano populo maxime salutarem esse assero. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem, & magistram agnosco. Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro. Cetera ite omnia à sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipue à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsentis sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & immaculatam vsque ad extremum vitæ spiritum constantissime Deo adiuuante retinere, & confiteri, atque meis subditis, seu quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voueo, ac iuro: sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Evangelia. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ordinationis, inhibitionis, derogationis, voluntatis, statuti, decreti, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo Sexagesimo quarto. Idibus Nouembrii. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Ca. Glorierius.

S. D. N. PII PAPÆ V. EXTENSIO DECRETI CONCILII  
Tridentini, Sess. 21. C. 2. quod incipit. Cum non deceat: loquentis de Clericis  
sæcularibus, ad Clericos regulares non professos, quod non promouean-  
tur ad sacros Ordines, nisi seruata forma dicti Decreti.

**P**IUS Episcopus, seruus seruorum Dei; ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex sacrorum Conciliorum auctor & interpres, illa quæ in huiusmodi Concilijs à prudentibus patribus in Spiritu sancto legitime congregatis salubriter sancita sunt, pro sui Pastoralis officij debito dum æquitas, honestas, & decus suadet, sicuti declarare, & moderare, ita etiam ad alios casus extendere consuevit. Sane cum non deceat diuino ministerio ascriptos cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, sacro Tridentino Concilio inter alia decretum fuit, ne quis deinceps clericus sæcularis, quamuis alijs moribus, scientia, & ætate esset idoneus, ad sacros ordines promoueretur, nisi prius legitime constaret eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè iussiceret, pacificè possidere, vel alijs ordinari non posset nisi iuxta Decreti ab ipso Concilio desuper editi formam, & tenorem. Cum autem nulla in huiusmodi Decreto religiosorum clericorum mentio facta fuerit, ac propterea nonnulli (vbi molestè accepimus) certorum ordinum religiosi, seu canonici, vel Clerici intra claustra Monasteriorum, seu domorum more regularium in cõmuni viuentes, qui nunquã, seu non nisi ad certum tẽpus professionem emittunt, & ex claustro exire, vel dimitti, & ad sæculum redire liberè, & licitè possunt, religionis prætextu absque titulo sufficientis beneficii, nec iuxta dicti Decreti tenorem, ad sacros ordines se promoueri prætentunt, & à nonnullis Episcopis passim promouentur, atque inde plerumque illud inconueniens eueniat, vt sic promoti, & claustro exeuntes, & per sæculum vagantes, vel mendicare, vel sordidum quæstum exercere, non sine ipsorum dedecore, ac ordinis vilipendio, & quamplu-

rimum.



rimorum Christifidelium scandalo cogantur. Nos igitur, qui singulorum Dei Ministrorum honorem, & decus, quantum in nobis est, sinceris exoptamus affectibus, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, de quæ Apostolicæ potestatis plenitudine hac perpetuo valitura sanctione decretum prædictum de clericis secularibus loquens, ad omnes, & singulos etiam cuiuscunque ordinis clericos religiosos, siue seculares more religiosorum viuentes in communi, non professos, harum serie extendimus, & ampliamus: ac religiosis, & alijs prædictis non professis, vt ad sacros ordines promoueri, nec non omnibus, & singulis Venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus, vt ordines ipsos huiusmodi religiosis personis impendere, nisi obseruata forma dicti decreti non valeant, in virtute sanctæ obediens, & sub indignationis nostræ pœna interdiciamus, & prohibemus, ac contrafacientes per annum à præstatione talium ordinum ipso iure suspendimus. Statuentes, & decernentes promotiones quarumlibet religiosarum personarum prædictarum ad ordines huiusmodi contra ipsius decreti Concilij Tridentini formam, etiam cuiusuis licentiæ illis ab Apostolica Sede, vel illarum superioribus cuiuscunque dignitatis, status, gradus, & præminentia existant, etiam si Pontificali dignitate fungantur, vel Cardinalatus honore præfulgeant concessæ, prætextu factas, executione prædictorum ordinum omnino carere, nullasque prorsus, & irritas existere, sicque promotas personas in altaris ministerio ministrare non posse. Quinimo ministrantes, priuilegijs, exemptionibus, immunitatibus, & alijs gratijs clericis concessis omnino priuari, & irregularitatis, aliasque in dicto decreto contentas pœnas eo ipso incurrere, à quibus nisi à Rom. Pont. vel in mortis articulo minime absolui possint. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quorumuis Monasteriorum, & ordinum etiam iuramento, & confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis, illis, illorumque superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis, etiam derogatorijs derogatorijs, alijsque efficacioribus, efficacissimis, restiturijs, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis in genere, vel in specie, ac alijs quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam si alijs pro illorum sufficienti derogatione de illis, illorumque totius tenoris specialis, specifica, expressa, & indiuidua, nõ autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quauis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores, formas, datas, & decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum infererentur præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alijs in suo robore permanentibus, hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrarijs, quibuscumque. Et vt præsentis literæ ad omnium notitiam perueniant, neque quis illarum ignorantia excusari possit, volumus; & Apostolica auctoritate decernimus, præsentis literas ad valvas Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Flore, publicari, & earum exempla affigi, & imprimi, illarumque exemplis etiam impressis manu alicuius Notarij publici, & sigillo Prælati Ecclesiastici, vel eius curiæ obsignatis eandem prorsus fidem adhiberi, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ extensionis, ampliationis, interdicti, prohibitionis, suppositionis, statuti, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, M. D. LXVIII. Pridie Idus Octobris, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Cæ. Glorierius. H Cumyn.



Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam  
rei memoriam.

**A**NTIQUA Iudæorum improbitas, qua diuine bonitati semper resisterit, tanto execrator consistit in filiis, quanto ipsi ad cumulandam patrū suorum mensuram in Dei filio repudiando, eiusque in mortem nefarie conspirando grauius deliquerunt, qui propterea suis effecti maioribus nequiores, proprijs sedibus expulsi, atque in omnes dispersi orbis terrarum regiones, seruitutiq; perpetuæ mancipari, non maiorem in cuiusquam ditione clementiam, quam in Christianorū Prouincijs, maxime verò in Apostolicæ pietatis gremio inuenerunt; quæ pro eorum conuersione laborans, eos misericorditer excepit, atque in cohabitatione vni cum filiis suis sustinuit, ad veritatisque lumen allicere pio semper studio conata est, rebusque ad vitam necessarijs iuuit, iniurijs, & contumelijs prohibuit; multis deniq; beneficiæ suæ priuilegijs circummuniuit: illi verò nullis beneficijs mansuetati, nihilque de suo pristino scelere remittentes, Dominum nostrum Iesum Christum in Cælo triumphantem adhuc in synagogis suis, & vbique persequuntur: Christi quoque membris insensissimi, non desinunt in religionem Christianam horrenda facinora quotidie magis audere; quibus nos, ne pietatis nostræ puritas polluat, aut à scædis mancipijs Christo, Christianorumve nomini impune illudatur obuiare volentes, Statuimus, ac etiam declaramus. Inquisitores hæreticæ prauitatis libere procedere posse in omnibus causis, & casibus, qui sequuntur. Siquis Iudæus, aut infidelis in ijs, quæ circa fidem cum illis nobis sunt communia, veluti Deum vnum, æternum, omnipotentem, creatorem omnium visibilium, & inuisibilium, & similia non esse asseruerit, prædicauerit, vel priuatim alicui insinuauerit. Si dæmones inuocauerit, consulueritve, aut eorum responsa acceperit, ad illosve sacrificia, aut preces ob diuinationem, aliamve causam direxerit, aut quid eis immolauerit, vel thuris, aliteriusve rei fumigationes obtulerit, aut alia quæuis impietatis obsequia præstiterit. Si Christianos verbo, facto, vel exemplo, aut alio quouis modo nefaria huiusmodi docuerit, vel ad ea perpetranda perduxerit, aut perducere attentauerit. Si Saluatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum purum hominem, vel etiam peccatorem fuisse, Matremve Dei non esse Virginem, & alias huiusmodi blasphemias, quæ per se hæreticæ dici solent, in Christianæ fidei ignominiam, contemptum, aut corruptionem impie protulerit. Si cuiusuis eorum opera, auxilio, consilio, vel fauore aliquis Christianus à fide desierit, quamque semel susceperat, abnegauerit, vel ad Iudæorum, seu aliorum infidelium ritus, cæremonias, superstitiones, vel impias scætas transferit; vel redierit, seu in hæresim aliquam incidit; aut qui, vt Christi fidem abneget, seu in hæresim incidat, opem consilium, auxilium, vel fauorē quomodocumque præstiterit. Si quis Cathecumenum, vel quemcumque ex Iudæis, aut infidelibus, Deo inspirante, ad fidem Christianam venire volentem, post declaratam nuntio, verbo, facto, aut quocumque alio modo eius voluntatem à fide, vel fidei instructione, aut à sacri baptismi susceptione, retrahere, auertere, vel dehortari, aut ne ad fidem veniat, neve regenerationis lauacro abluatur, quouis modo impediuerit. Si quis apostatas, hæreticosve scienter domi suæ acceptauerit, aluerit, comiteu iuuerit, seu quouis modo eis cibaria vbicumque præbuerit, aut dona, vel munera dederit, vel miserit, aut de loco ad locum deduxerit, seu associauerit, vel deducendos, seu associandos curauerit, aut sumptus ministrauerit, Duces comitesve illis adiunxerit, vel ne ab eis perpetrata deprehendi, aut inuestigati queant, fecerit. Quique dictos apostatas, aut hæreticos scienter aliquo modo acceptauerit, occultauerit, defenderit, aut eis opem, consilium, auxilium, vel fauorem quomodolibet præstiterit. Si libros hæreticos,

vel



vel thalmudicos, aut alios Iudaicos quomodolibet damnatos, aut alias prohibitos tenuerit, custodierit, vel diuulgauerit, vel in quacunque loca detulerit, aut ad eam rem operam suam accommodauerit. Si Christianos deriserit, redemptionisque nostrae hostiam salutarem in ara crucis immolatam, Christum Dominum ludibrio, & despectui habens, quodcumque, maxime verò in sacro Parasceues die agnum, siue ouem, aut quid aliud cruci affixerit, aut appenderit, in eamve conspuerit, seu quodcumque contra ipsam fecerit. Si nutrices Christianas contra sacrorum Canonum statuta, diuersorumque Romanorum Pontificum, praedecessorum nostrorum, sãctiones adhuc retinuerit, aut eas retinens die, qua sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumperint, lac vno, vel pluribus diebus in latrinas, cloacas, vel alia loca effundere coegerit. In quibus casibus vniuersis, & singulis omnes praedictae prauitatis Inquisitores omnium Regnorum, Prouinciarum: Ciuitatum, Dominiorum, & locorum vniuersi orbis Christiani Iudices in suis quemque locis perpetuo delegamus, vt super his contra Iudæos, atque infideles quoscunque simul, vel separatim, prout in causis fidei iuxta sacrorum Canonum formam, necnon officij Inquisitionis huiusmodi constitutiones, diligenter inquirent, & procedant, & quos in aliquo, vel aliquibus horum flagitiorum excessibus culpabiles reppererint, in eos pro culpæ modo, ac etiam pro criminum numero, vel multiplicatione, aut consuetudine delinquendi, flagra, remigia, etiam perpetua, rerum quoque publicationes, exilia, aliaque atrociora decernant, & alias de eis exempla edant, quæ sceleratos illos deterreat ab huiusmodi flagitijs in posterum admittendis. Nos enim venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Inquisitoribus generalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Prælatibus, ac etiam alijs praedictis Inquisitoribus in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, & mandamus, vt præsentem nostras literas in Ciuitatibus, & locis cuique subiectis publicare, & iuxta illarum tenorem procedere, ipsas que debitæ executioni mandare procurent. Decernentes irritum, & inane, quicquid secus per quoscunque scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon exemptionibus, priuilegijs, immunitatibus, commutationibus, in fidem publicam receptionibus, & tolerantijs praedictis, Iudæis, & alijs infidelibus, Maranis, & Apostatis, tam in Dominijs, Terris, & locis nostris, & sedi Apostolicæ mediate, vel immediate subiectis, quàm alia vbiunque Regnorum, Prouinciarum, & Dominiorum, gentium, & locorum commorantibus, vel in ea ex quibusuis Regnis, & partibus tam fidelium, quàm infidelium confluentibus, eorumque Iudicibus, Aduocatis, & defensoribus quacunque auctoritate, potestate, & dignitate fungantur, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, & quorumuis aliorum Principum tam per fel. rec. Paulum III. Decimo Cal. Martij, & Iulium etiam III. Non. Decemb. Tertio anno sui cuiusque Pontificatus, quàm etiam quoscunque alios anteriores, & posteriores Romanos Pontifices, ac nos, & sedem Apostolicam, eiusque legatos, ac etiam Cameram Apostolicam sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam Motu proprio, & alias quomodocunque hætenus concessis, confirmatis, & innouatis, atque in posterum concedendis, confirmandis, & innouandis, quæ omnia, etiam si de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua mentio, aut aliqua alia forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si ad verbum infererentur præsentibus pro plenè expressis habentes harum serie specialiter, & expresse reuocamus, abrogamus, & omnino abolemus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem præsentibus in locis vrbis consuetis de more publicari, & earum exemplis, etiam impressis, manu Notarij publici, & sigillo Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem vbi que tam in iudicio, quàm extra illud adhiberi, quæ adhiberetur eisdem præsentibus si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam no-



strorum statuti, declarationis, delegationis, præcepti, mandati, decreti, reuocatio-  
nis, abrogationis, abolitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario con-  
traire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis  
Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Dat. Ro-  
mæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo  
octuagesimo primo, Kal. Iunij. Pontificatus N. Anno Decimo.

M. Datarius.

Cæs. Glorierius.

A. de Alexijs.

Anno à Natiuitate Domini Millesimo quingentesimo octuagesimo primo, Indi-  
ctione nona, die verò decima mensis Iunij, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris  
& Domini Nostri Domini Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno Decimo,  
retroscriptæ litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Ecclesiæ San-  
cti Ioannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum de vrbe, Cancellariæ Apo-  
stolicæ, & in acie campi Flore, ac etiam ad valuas septi Hebræorum, per nos Petrum  
Aloy sium Gaytam, & Nicolaum Taglietum Apostolicos Curs.

Antonius Ludouicus Magister Cursorum.

CONSTITVTIONES, ET LITTERÆ  
Pontificiæ.

De taxis in iudicijs Ecclesiasticis Prouinciæ Med. seruandis.

**G**REGORIVS PAPA XIII. Ad perpetuam rei memoriam. Roma-  
num decet Pontificem prouidentia suæ partes impendere efficaces, vt illa,  
quæ pro bono publico, & plurimorum indemnitate prudenter facta, & cir-  
cumspecte disposita esse noscuntur, perpetuò firma, & illibata subsistant, & ab om-  
nibus quos concernunt, etiam inconcusse obseruentur. Cum itaque, sicut accepimus,  
dilectus filius noster Carolus Tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis -  
Borromæus nuncupatus, ex dispensatione Apostolica Archiepiscopus Mediolanen-  
sis, quasdam ordinationes, & taxas in tota Prouinciâ sua obseruandas per Iudices in Sy-  
nodis Diocesanis deputatos pro causis commissarijs, necnon per conseruatores re-  
gularium exemptorumve quorumcunque in causis, coram eis quouis modo pendenti-  
bus, ac eorundem Notarijs, non tamen vbi ex aliquo statuto, aut consuetudine  
laudabili, nihil vel minor taxa exigeretur, ediderit, statuens siquidem, & ordinans,  
quod Iudices præfati non pronuncient, prout in cedula, neque habeant terminum  
pro seruato, sed sententias suas liberè proferant, & de scripto in die termini, vt sta-  
tim publicent, easque recitent. vel recitari iubeant, propinas non accipiant, si sa-  
larium ordinarium aliquod habent, aliàs moderatas capiant, iuxta taxam inferius  
descriptam, & eo casu per manus Notarij causæ, sententiam tamen prius nedom sub-  
scripta, sed etiam Notario consignata, & publicata. Quæ sportulæ apud Notarium  
causæ post subscriptionem, & Notarios traditâ sententiam, & non antea deponantur,  
Notarijsq; huiusmodi depositionem in actis notare, & specificare teneatur, Pro inter-  
locutorijs, aut alijs decretis vim diffinitiuæ non habentibus, ante diffinitiuâ, & pro-  
videndis scripturis, informationibus, aut processibus nihil prorsus accipiant, mune-  
ra, vel xenia à litigantibus nõ accipiant, nec quidẽ esculenta, & poculenta, nisi quæ  
triduo consumi possint. Aduocatos, Procuratores, aut Solicitatores, quorum opera  
ad patrocinandum coram ipsis cupiant quemquam vtĩ, neq; verbis nominent, neq;  
villo modo significant, Aduocantes, procurantes, aut sollicitantes in causis coram eis  
pendentibus domi non retineant, neq; etiam Notarium causæ: Notarios assumant  
ab Ordinarijs locorũ approbatos, qui non solùm cauere debeant de scripturis fide-

litteræ



liter custodiendis, sed etiam finitis causis de eisdem cōsignandis in Archiujs Ordinarij absque tamen præiudicio Notariorum eorundem habitis ab eorum Notarijs quietantijs ne morte cuiusquam deperdantur; Assesores arbitrive, qui in causa suspicionis Iudicibus Ordinarijs, vel alijs etiam delegatis adiunguntur, nihil, aut quid minimum pro videndis scripturis, & processibus, nec etiam pro voto decisiuo accipiant: cum in vna, & eadem causa contra diuerfos vnica citatione agitur, plures non dentur expeditiones, nisi ipsimet petierint, sed vnica tantum, & pro ea merces vnica soluat: quod si ex necessitate duplicata occurrant, Notario tantum pro labore scriptura soluat, idemque seruetur in sententijs quibuscunque etiam absolutorijs si id commode præstari poterit, attenta qualitate, & diuersitate causarum, vt scilicet omnes reos in vna causa vnica comprehendat sententia, & pro vnica tantum soluat; In causis criminalibus, in quibus de iure Fiscus citari debet, non procedatur, nec sententia feratur, nisi ipso legitime citato: pro sigillo tam in ciuilibus, quam in criminalibus ad summum capiant realem vnum, & in mandatis de excarcerando in capitalibus, & pro relaxatione testium nihil, & in expeditionibus etiam quæ sunt in ciuitate cum clausula si quis, nihil, Pro viatico Iudicis in ciuitate nihil, si extra ciuitatem vltra miliare scuta duo pro prima die, & si vltra, scutum vnum auri pro qualibet die vltra expensas honestas cibarias, & eorum vesturam, Notariusque capiat pro medietate: Notarij omnes prædictorum Iudicum obseruent taxas Notarijs fori cuiuscunque ordinarij præscriptas, ac secundum illas exigant, præterquam in casibus in præfata reformatione expressis, in quibus eis liceat capere, quod hic determinatum est, nisi ordinarij taxæ minores, & moderationes hic sint: Quo casu illas in totum, etiam quod ad expressa in præfata reformatione sequi debeant: Notarij nullum quantumuis leuem terminum per se ipsos etiam in forma, vt dicunt, sine Iudicis decreto seruent; vbiunque procuratorem aliquem ad lites constitutum à principali suo lite pendente reuocare contingat, tunc Notarij nullo modo reuocationes huiusmodi recipere possint, aut de illis rogari, nisi simul alter procurator, qui munus illud procuratoris suscipiat ab eodem legitime constituatur, & de alterius constitutione eiusque susceptione apud acta doceatur, Notarius cum Iudici acta, seu alias scripturas detulerit, nihil omnino vltra duos solidos, etiam à sponte dantibus sub pretextu bialiorum, seu regaliorum recipiat: Notarij, eorumque substituti, vel scribæ non possint esse procuratores in curia, seu tribunali, in quo Notarij sunt, & officium substituti exercent, vel scribunt: Iudices non sint participes aliquo modo emolumentorum, quæ Notarij ex suis laboribus in causis coram eis pendentibus percipiunt. Ac insuper propinas à præfatis iudicibus obseruandas limitauerit in hunc modum videlicet, quod in causis, vbi de summa viginti quinque scutorum agitur supra decem reales nihil percipi debeat. A viginti quinque autem scutis, vsque ad centum scuta, tria scuta percipiantur, seu percipi possint. A centum vsque ad ducenta scuta sex. A ducentis vsque ad quamcunque summam non vltra scuta decem. Pro sententia declaratoria ob non paritionem monitorij in contumaciam non vltra realia septem cum dimidio, pro declaratoria in vim literarum, aut alias habent vim diffinitiuæ si summa sit certa, accipiant, vt supra taxatum fuit, vbi autem non est certa sed agitur ad ipsarum literarum executionem accipiant secundum causæ, & personæ qualitatem, dummodo non vltra quinque aureos. In beneficialibus verò si redditus annuus de quo agitur non excedat summam centum ducatorum capiant scuta sex. A centum verò, vsque ad mille scuta duodecim, abinde supra non vltra scuta viginti accipere valeant. Quod si causæ estimationem facile non recipiant moderatæ sportulæ pro rerum, & personarum qualitate iuxta taxas prædictas recipi possint. In causis criminalibus, in quibus pœna à deportatione supra veniret imponenda non vltra decem aureos accipere possint. A deportatione autem infra



non vltra quinque. In causis autem capitalibus, in quibus fit traditio curiæ seculari, vel alia pœna corporalis imponitur, etiam si in illa indemnitate partis consulti-  
tur, & in illius favorem nisi fuerit dives, à qua vsque ad viginti quinque aureos pos-  
sit accipi, etiam pronuntietur, non vltra quinque scuta accipiant, caueant autem  
Iudices ne pro extorquendis sportulis aliquem nolentem quouis modo absolui ad-  
petendam sententiam huiusmodi per causarum expeditionis dilationem, vel rei in  
carceribus detentionem, vel per cautionis de se representando, vel non disceden-  
do, vbi aliàs illis de iure locus non sit præstandi cautionem, aut aliàs quoquomodo  
inducant. Quæ omnia decreta, seu taxæ Iudicibus Synodalibus, & cōseruatoribus  
sic præscriptas seruent etiam Iudices ordinarij in omnibus causis delegatis, nisi v-  
bi de consuetudine, decretis vel cōstitutionibus Episcopalibus minor taxa ipsis ser-  
uanda proposita esset, quam seruare teneantur, possintq; locorum Ordinarij di-  
cæ Prouinciæ Mediolanensis, tanquam sedis Apostolicæ delegati prædictorum omnium  
contemptores, ac ipsis quoquomodo contrauenientes admonere, & si se emendare  
neglexerint informationem de excessibus huiusmodi sumant, ac ad Romanum Pon-  
tificem pro tempore existentem, seu curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Audito-  
rem transmittant, vt ea ad vnguem non obseruantes iuxta excessuum exigentiam  
corrigi, & puniri possint, nisi ipsi Iudices magis ab Ordinarijs iudicari consense-  
rint, ac aliàs prout in instrumento, vel instrumentis publico, seu publicis, aut alio,  
vel alijs documento, seu documentis, aut scriptura, vel scripturis desuper conse-  
ctis plenius dicitur contineri. Cumque sicut etiam accepimus idem Carolus Car-  
dinalis, & Archiepiscopus, seu Præsul ordinationes, & taxas prædictas per eum sic,  
vt præmittitur pro bono publico suæ Prouinciæ factas à nobis, & dicta sede Aposto-  
lica confirmari, & approbari desideret: Nos in præmissis opportune etiam prouide-  
re volentes, Motu proprio non ad ipsius Caroli Cardinalis, & Archiepiscopi, seu  
Præsulis, vel alicuius pro eo nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex  
mera voluntate, & deliberatione, ac ex certa scientia nostra, & de Apostolicæ pote-  
statis plenitudine omnes, & singulas ordinationes, & taxas huiusmodi per ipsum  
Carolum Cardinalem, & Archiepiscopum, seu Præsulem sic vt præmittitur factas  
prædicta Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo confirmamus, & ap-  
probamus, ac etiam innouamus, & etiam de nouo perpetuo facimus, nec non illis  
plenariæ, inuolabilis, & perpetuæ firmitatis Apostolicæ robur adijcimus, omnesq;  
& singulos tam iuris, quam facti defectus, si qui interuenerint in eisdem supplē-  
mus, illasque validas, & efficaces perpetuo existere, & fore, ac suos plenarios effe-  
ctus sortiri, & obtinere, nec non à Iudicibus Synodalibus, & Conseruatoribus, ac  
etiam Ordinarijs, & delegatis, ac Notarijs, cæterisque supradictis, ac alijs omni-  
bus, & singulis di-  
cæ Prouinciæ ad quos spectat, & spectabit, quosque præmissa cō-  
cernunt, & concernent pro tempore quomodolibet in futurum, inuolabiliter per-  
petuo obseruari, sicque in præmissis ab omnibus censi, ac ita, & non aliter per-  
præfatos, & quoscumque Iudices, & Commissarios etiam quauis auctoritate fun-  
gentes, etiam nostri Sacri Pallatii causarum Auditores, sanctæq; Romanæ Ecclesiæ  
Cardinales etiam legatos de latere, & sedis prædictæ Nuncios, etiam cum facultate  
legati de latere, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpre-  
tandi facultate, & auctoritate in quauis causa, & instantia iudicari, sententiarum, &  
diffiniri debere, nec non quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate  
scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus, & de-  
claramus; sicque etiam volumus, & perpetuo statuimus mandamus, præcipimus, ta-  
xamus, & ordinamus, nec non etiam perpetuum desuper silentium imponimus.  
Quocirca Venerabili Fratri Episcopo Alexandrino ac dilectis filijs causarum curiæ  
Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, & Archipresbytero Ecclesiæ Mediolanen-  
per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se,  
vel alium, seu alios præsentem literas, & in eis contenta quæcumque vbi, & quando



opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Caroli Cardinalis Archiepiscopi, seu Præfulis, vel cuiuscunque aut quorumcunque aliorum, quorum interest, intererit, vel interesse poterit pro tempore quomodolibet in futurum solenniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra omnes, & singulas ordinationes, & taxas prædictas, ac præsentis nostras literas, & in eis contenta huiusmodi à Iudicibus Synodalibus, & Conseruatoribus, ac etiã Ordinarijs, & delegatis, ac Notarijs, cæterisque supradictis in dicta Prouincia, omnibusque alijs, & singulis ad quos spectat, & spectabit, quosque præmissa concernunt, & tangunt, ac concernent, & tangent pro tempore quomodolibet in futurum inuolubiler perpetuo obseruari, ac Carolum Cardinalem, & Archiepiscopum, seu Præsulem, ordinariosque omnes dictæ Prouinciæ Mediolanen. præsentis. ac pro tempore existentes, aliosque prædictos quorum, vt præfertur, interest, & intererit, ac quemlibet ipsorum illis pacifice, & quiete frui, & gaudere, non permittentes eos per Iudices synodales, & Conseruatores, ac Ordinarios, & delegatos, ac Notarios, cæterosque prædictos, aut quoscumque alios desuper quomodolibet molestari, inquietari, impediri, vel perturbari, contradictores quoslibet, & rebelles per Ecclesiasticas sententias, censuras, & etiam pecuniarias pœnas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia auctoritate nostra, appellacione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus sententias, censuras, & pœnas prædictas incidisse, & incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggrauando, excommunicando, interdicens, & interdictum Ecclesiasticum apponendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstant. fe. re. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas quis auctoritate præsentium extra suam ciuitatem, & Diœcesim ad iudicium non trahatur, alijsque Apostolicis, nec non etiam in alijs vniuersalibus, prouincialibusque & Synodalibus Concilijs editis, & edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, nec non etiam ciuitatis, Diœces. & Prouinciæ Mediolanen. ac quarumcunque aliarum ciuitatum, Diœces. & locorum, nec non etiam Ecclesiarum, monasteriorum, & ordinũ etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus decretis, & præscriptionibus etiam immemorabilibus, ac legibus etiã Pontificijs, Imperialibus, Regijs, Ducalibus, & municipalibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis etiam ciuitatibus, Diœcesibus, Prouinciæ, & locis, ac etiam Ecclesijs, Monasterijs, & ordinibus prædictis, illorumque Superioribus, Magistratibus, ciuibus, & incolis, ac Præsulibus, Capitulis, Abbatibus, conventibus, & superioribus, nec non Iudicibus synodalibus, Conseruatoribus, Ordinarijs, delegatis, & Notarijs, cæterisque supradictis, & quibusuis alijs personis in genere, vel in specie sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatorijs derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis irritantibusque & alijs etiam vim contractus, & statuti etiam perpetui, atque legis inducibus decretis, ac etiam motu scientiæ, & potestatis plenitudine similibus, & etiam consistorialiter, ac alijs etiam pluries & iteratis vicibus in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & innouatis, in posterumque etiam concedendis, confirmandis, approbandis, & innouandis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione alijs de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, indiuidua, & expressa, non autem per clausulas generales idem importan. mentio, seu quauis alia expressio ad hoc habenda, aut quauis alijs exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti foret, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis alijs in suo robore permanens, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, ac sufficienter derogatum esse, & fore decernimus, cæterisque contrarijs quibuscunque, Aut si Iudicibus Synodalibus, Conseruatoribus, Ordinarijs, &

delega-



delegatis, ac Notarijs, ceterisque supradictis, vel quibusvis alijs communiter, vel diuifim ab eadem fit sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris. Die 4 Iunij. M. D. LXXX. Pontificatus nostri anno nono.

Cæf. Glorierius.

**BVLLA S. D. N. D. PII, DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ V.**  
Super residentia facienda in Parochialibus per obtinentes eas, ac  
Canonicatus, aut dignitates, seu aliud  
beneficium.

Pius Episcopus, seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei  
memoriam.

**C**VPIENTES pro nostri pastoralis officij munere Christi fidelium animarum saluti, quantum cum Deo possumus, salubriter consulere, & Parochialibus Ecclesijs ab earum Parochis, prout tenentur, in diuinis debite, & laudabiliter deseruiri, in hærendo etiam decretis sacri Concilij Trident. Motu proprio, & ex mera deliberatione certaque scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura Constitutione omnes, & singulos Rectores Parochialium Ecclesiarum cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & præminentia fuerint, in quibuscunque regnis, prouincijs, ciuitatibus, diocesis, ac alijs Christiani orbis partibus consistentes, qui Parochialem Ecclesiã, ac Canonicatum, aut dignitatem, etiam post Pontificalem maiorem, seu principalem in quibusvis Parochialibus, aut metropolitanis vel cathedralibus, seu collegiatis Ecclesijs, seu aliud quodcunque beneficium Ecclesiasticum, etiam quarumcunque dispensationum à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, seu etiam à nobis hætenus quomodolibet impetratarum, ac literarum Apostolicarum desuper expeditarum titulo, quas omnes hac præfenti Constitutione aboleamus, & reuocamus, seu quocunque alio prætextu obtinent, cum prima, & præcipua debeat esse cura animarum eos ad residendum in Ecclesia Parochiali, & ibi in diuinis deseruendum, debitoque eorum officio fungendum omnino teneri, & obligatos esse, ac ad id per Episcopos, & alios locorum ordinarios, etiam tanquam Apostolicæ sedis delegatos, sub sententijs, & censuris Ecclesiasticis, ac pecuniarijs arbitrio eorum declarandis, ac etiã priuationis dictarum Parochialium, & aliorum quorumcunque beneficiorum poenit, quacunque appellatione remota, cogi, & compelli posse, & debere auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, præcipimus, & ordinamus. Eos tamen sic residentes in Ecclesijs Parochialibus omnes, & singulos fructus redditus, & proventus, etiam Canonicatus sui, vel dignitatis, seu alterius cuiuscunque beneficii, exceptis di taxat quotidianis distributionibus, & alijs, quæ ex iusta causa absentes percipere nõ solent, lucrari volumus. sicque per quoscunque Iudices, & commissarios, etiam causarum palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuiuslibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, interpretari, iudicari, & dif finiri debere. Necnon irritum, & inane quicquid secus super has à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter attentatum forsan est hætenus, vel in posterum contigerit attentari, decernimus, & declaramus. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis dispensationibus, literisque Apostolicis desuper confectis, necnon Apostolicis in prouincialibusque & synodalibus Concilijis æditis generalibus, vel specialibus constitutionibus, ordinationibus, & etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs

quoque



quoq; indultis, & literis Apostolicis quibusuis personis in genere, vel in specie, & alijs quomodolibet concessis, & approbatis, imposterumq; concedendis, & approbandis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quauis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum infererentur, presentibus pro sufficenter expressis habentes, illis alijs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat ad effectum presentium specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrarijs quibuscunq;. Volumus autem quod harum literarum transumptis etiam impressis, manu notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra adhibeatur, quae presentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae abolitionis, reuocationis, statuti, praeccepti ordinationis, decreti, declarationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo octauo, octauo Idus Iulij, Pontificatus nostri Anno Tertio.

DECLARATIO CIRCA PRÆCEDENTIAM FRATRVM  
Mendicantium, & Confraternitatum laicorum, in processibus.

Aduertas autem quod Pius Quintus praecedentiam concesserit Fratribus Praedicatoribus, vt supra in eius constit. 69. Diuina.

Gregorius Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

**E**XPOSCIT Pastoralis officij munus, cui disponente Domino praesidemus, vt ad ea sollicitè intendamus, per quae discordiarum, & litium, ac controuersiarum quarumlibet praesertim inter personas Ecclesiasticas materia tollatur. Sanè nobis nuper innotuit, quòd in multis ciuitatibus, & dioecibus, diuersarum mundi partium nonnullae lites, causae, & controuersiae inter Fratres Mendicantes, aliae etiam similes lites, & controuersiae inter confratres Confraternitatum Christiani fidelium super praecedentia, vel iure praecedendi, ortae iam sint, & oriri facile possint. Nos considerantes lites, causas, & controuersias huiusmodi in Ecclesia praesertim inter religiosas personas, quae relictis mundi vanitatibus famulatum, & votum suum in humilitatis spiritu Domino & Deo nostro, qui se pro nobis usque adeo humiliavit, vt formam serui acciperet, exhibere, & persoluere profitentur, non modicam illi praeclearae, Deoque praecipue dilectae virtuti, quae est humilitas, laudem infundere, populoque scandalum generare, ac propterea illas omni ratione sub mouendas, publicaeque religionis tranquillitati, ac ministrorum Ecclesiasticorum reconciliationi, & mutuae dilectioni quam primum consulendum esse rati, ac supremam huic negotio manum apponere volentes, necnon causas, lites, seu controuersias huiusmodi vbilibet & coram quibusuis Iudicibus motas, & in quibusuis instantijs indecisas pendentes ab eisdem Iudicibus harum serie ad nos aduocantes, illasque penitus extinguentes, eisdemq; Fratribus Mendicantibus, ac cõfratribus super praemissis perpetuum silentium imponentes, De nobis attributae potestatis plenitudine volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quòd quicumque ex dictis Fratribus mendicantibus inter se de praecedentia huiusmodi contententibus, aut Confratribus Confraternitatum praedictarum inter quos lites & causae praemissorum occasione ortae iam sint, seu oriri contigerit in futurum, qui in quasi possessione

Præce-



Præcedentiæ ac iuris præcedendi sunt, ij, ( quibuscunq̃ue reclamationibus, protestationibus, appellationibus, & alijs subterfugijs prorsus remotis, & cessantibus, & postpositis ) in processionibus tam publicis, quàm priuatis præcedere debeant: Quædo verò non probetur, aut non constet de quasi possessione præcedentiæ huiusmodi, inter fratres quidem Mendicantes, ij qui antiquiores in loco controuersæ, Inter Confratres verò inter se litigent ij, qui prius saccis vsi sunt; in processionibus tam publicis, quàm priuatis præcedere debeant: Ita vt si contigerit noua monasteria, aut domus alicuius Ordinis Mendicantium, in loco, in quo alterius Ordinis extinctis Mendicantibus Monasteria, aut domus prius erecta & instituta sint, ille ordo, qui prius Monasterium, seu domum in loco habuerit, præcedat. Præterea quia inter prædictos Ordines plerunq̃ue alia in Processionibus, & alia in Concilijs generalibus, & alijs actibus publicis siue priuatis, ratio circa modum præcedendi seruatur, nolimus per præsententes prærogatiuis dictorum Ordinum, quodad præcedentias huiusmodi quæ proprijs ordinibus, præterquam in processionibus prædictis debentur, aut fratribus Capucinis nuncupatis, qui in processionibus publicis sub Conuentualium sancti Francisci, aut Minorum de obseruantia Fratrum nuncupatorum, Cruces, vt solent, incedere possint, aliquod præiudicium generari. Sicquæ per quoscunq̃ue Iudices, & commissarios etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, ac quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, monasteriorum, ordinum, congregationum, domorum, ac confraternitatum quoruncunq̃ue etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis illis, eorumq̃ue superioribus & personis, sub quibuscunq̃ue tenoribus, & formis, ac cum quibusuis derogatorijs derogatorijs, alijsq̃ue efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusq̃ue, & alijs decretis in genere vel in specie etiam motu proprio, aut alijs quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & inuouatis: Quibus omnibus ( illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alijs in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus ) ceterisq̃ue contrarijs quibuscunq̃ue. Volumus autem vt præsentium transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in Iudicio quàm extra adhibeatur, quæ præsentibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris, die 15. Iulij 1583.  
Pontificatus Nostri, Anno Duodecimo.

Cæf. Glorierius.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, indictione vndecima, Die verò Dominica decima septima Mensis Iunij, Pontificatus verò Sanctissimi in Christo patris, & Domini Nostri Domini Gregorij diuina providentia Papæ XIII. Anno Duodecimo: Retroscriptæ literæ Apostolicæ in forma breuis expeditæ, affixæ & publicatæ fuerunt in acie Campi Floræ, vt moris est, per nos Petrum Guerram, & Melchjorem Riccium eiusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursores.

Io. Baptista Bagni Magister Curforum.



DE COLLATIONE ECCLESIARVM  
Parochialium.

Ad quos habetur etiam Pij Quarti, const. Inter multiplices fol. 783.

Pius Episcopus, seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei  
memoriam.

**I**N conferendis beneficijs Ecclesiasticis, & præsertim Parochialibus Ecclesijs per  
sonis dignis, & habilibus, quæ in loco residere, & per se ipsos curam exercere  
valeant, quantam diligentiam adhiberi oporteat Alexander III. Lateranen.  
& Gregorius X. Lugdunen. generalibus Concilijs, ac Innocentij similiter I I I. &  
aliorum Romanorum Pont. prædecessorum nostrorum editæ constitutiones testan-  
tur. Quod vt diligentius, ac rectius perficiatur, statuit etiam Synodus Tridentina,  
vt occurrente vacatione Parochialis Ecclesiæ etiã generaliter, vel specialiter, etiam  
vigore indulti in fauorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, aut alias quo-  
modolibet reseruatur, vel affectæ, debeat Episcopus habita notitia vacationis Ec-  
clesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua eius arbitrio fructuum  
portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de  
Rectore prouideatur. Et deinde Episcopus, & qui iuspatronatus habet, intra decem  
dies, aut aliud tempus ab Episcopo præscribendum aliquos clericos ad regendum  
Ecclesiam idoneos examinantibus iuxta formam eiusdem Synodi deputatis, no-  
minet, & non nisi ab eisdem examinantibus per concursum aliorum Examinato-  
rum, etiam tanquam magis idoneo ab Episcopo iudicato & electo de Ecclesia pro-  
uidentur: alias prouisiones, seu institutiones omnes præter formam prædictam fa-  
ctæ, surreptitiæ censeantur. Sed quoniam res humanæ semper in deterius prol-  
abuntur, nisi sit qui eas retineat, ac debitæ executioni demandet, & verendum sit  
ne propter constitutionum huiusmodi transgressionem maximi abusus oriantur:  
Nos, ad quorum notitiam non sine graui nostra molestia peruenit nonnullos ex ve-  
nerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis occurrente vacatione  
Parochialium Ecclesiarum eas nullo minus aut ritè seruato examine, præsertim il-  
lo quod per concursum fieri debet ex Concilio Tridentino, vel etiam examine rite  
seruato, personis minus dignis, carnalitatibus aut alium humanæ passionis affectum  
non rationis iudicium sequentes contulisse, & de eis prouidisse, volentes quantum  
cum Deo possumus huiusmodi ac etiam futuris periculis occurrere, eorundem præ-  
decessorum nostrorum constitutiones præfatas, etiam innouando, auctoritate Apo-  
stolica tenore præsentium omnes, & singulas collationes, prouisiones, institutiones,  
& quasuis dispositiones Parochialium Ecclesiarum ab eisdem Episcopis, & Archie-  
piscopis, ac quibusuis alijs collatoribus tam ordinarijs, quam delegatis etiã S. R. E.  
Cardinalibus, ac sedis Apostolicæ Legatis, vel Nuncijs præter & contra formam ab  
eodem Concilio Tridentino, præsertim in examine per concursum faciendo præ-  
scriptam factas aut in futurum faciendas, nullas, irritas, ac nullius roboris, vel mo-  
menti fore, & esse, nullumque prouisis, ius, aut titulum etiam coloratum possidèdi  
præbere, & parochiales Ecclesias huiusmodi, vt prius ante collationes huiusmodi  
vacabant, ex nunc vacare statuimus, decernimus, & declaramus, easque omnes pro  
tempore sic vacantes nostræ & sedis Apostolicæ, seu eorum quibus ius conferendi  
eas præterquam Episcopis, & Archiepiscopis, qui curam dicti examinis iuxta decre-  
tum Concilij habere debent competere, dispositioni reseruamus. Insuper ne paro-  
chiales Ecclesiæ diu in suspenso maneant in maximum animarum periculum qua-  
rumcunque parochialium Ecclesiarum, quarum dum pro tempore vacant, ad Epi-  
scopos, Archiepiscopos, Primate, & Patriarchas & quosuis alios ordinarios colla-  
tores in mensibus ordinarijs collatoribus etiam per nostras regulas assignatis pro-



uifio & collatio fpectat, & pertinet, de quibus idem Epifcopi & Ordinarij prædicti intra fex menfium fpatium à die uocationis earundem perfecto examine iuxta formam Concilij Tridentini præfati non prouiderint, ac illarum etiam quarum collationes nobis, & dictæ fedi generaliter vel fpecialiter & ex quauis caufa referuatæ, feu affectæ exiftunt, aut alias ex indulto fedis Apoftolicæ competunt, ad quas occurrerent illarum uocatione Epifcopi & Archiepifcopi præfati per examen concurfu mutuo habitæ iuxta dicti Concilij Tridentini formam approbatas, & magis idoneas non elegerint, aut electas nobis, vel fuccefforibus noftris, aut ijs ad quos collatio fpectabit, pro collatione obtinenda intra quatuor menfium fpatium à die illius uocationis non fignificauerint, necnon Parochialium Ecclefiarum fimilium, quæ Iurifpatronatus Ecclefiæftici, vel aliorum feu clericorum & laicorum fimul fuerint, fi præfentatus intra tempus eifdem patronis à iure præfixum præuio examine iuxta formam dicti Concilij approbatus inftitui, inftitutioque ipfa per duos menfes à die præfentationis dilata fuerit, collationem, prouiffionem, inftitutionem, ac omnimodam difpofitionem nobis & ipfi Sedi, ac perfonis indulta huiufmodi conferendi, prouidendi, feu inftituendi obtinentibus refpectiue referuamus, datamen in Parochialibus Iurifpatronatus optione ipfis patronis, ut fi inftitutio ad ordinarios fpectabit, ipfis ordinarijs illam facere negligentibus, & ultra dictos duos menfes deferentibus, poffint pro huiufmodi inftitutione obtinenda habere recurfum ad Metropolitanum, vel uiciniorum Ordinarium, aut ad fedem Apoftolicam. Prohibentes etiam eifdem ordinarijs ne tempus decem dierum eifdem ordinarijs, & patronis ab eodem Concilio Tridentino ad nominandum idoneos clericos coram deputatis Examinatoribus præfixum, ultra alios decem dies prorogare audeant, vel præfument. Diftrictius inhihentes ne quis præter Romanos Põtifices, aut alios indulta huiufmodi obtinentes, ut præfertur quacunq; fit fuper hoc auctoritate munitus, de huiufmodi beneficijs fic referuatæ (ut præfertur) difponere, vel circa illa etiam per uiam permutacionis, vel alias innouare quoquomodo præfumat. Ut autem non folùm dignis, fed magis idoneis repertis iuxta eifdem Concilij decretum Parochiales Ecclefiæ conferantur, uolumus & eadem auctoritate decernimus, quòd fi Epifcopus minus habilem poft habitis magis idoneis elegerit, poffint ij qui reiecti fuerint à mala electione huiufmodi ad Metropolitanum, vel fi ipfe eligens Metropolitanus, aut exemptus fuerit, ad uiciniorum ordinarium uti noftris, & fedis huiufmodi delegatum, aut alias ad ipfam fedem Apoftolicam appellare, ac præelectum ad nouum examen coram ipfo appellationis Iudice & eius Examinatoribus prouocare, & conftitit de prioris eligentis irrationabili iudicio, eoq; reuocato, Parochialis, magis idoneo per eundem iudicem appellationis auctoritate noftra (quatenus collatio ad Epifcopum à quo appellatum fuit fpectaret) conferatur, alias eidem magis idoneo per iudicem appellationis approbato conferenda remittatur ad eum ad quem collatio, prouiffio, vel inftitutio fpectabit. Hæc tamen appellatio interpofta interim non impediatur aut fuspendatur, quominus electio per ordinarium primo loco facta interim debitæ demandetur executioni, & prouiffus ab eadem Ecclefiæ caufa appellationis huiufmodi dependente non amoueat. Et fi quis à fententia per Iudicem appellationis lata duxerit appellandum, is tunc ad fedem ipfam Apoftolicam appellabit. Si fecus in præmiſſis omnibus & fingulis actum aut attentatum fuerit, irritum decernimus & inane. Volumus autem quod præfentium tranſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perfonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prurſus fides in iudicio & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel offerentæ, quodve literæ ipſæ Cameræ & Cancellariæ Apoftolicarum, & Audientiæ caularum Palatij Apoftolici ualuis, & in acie Campi Floræ dimiſſis inibi copijs publicatæ & affixæ, omnes ita afficiant & arctent ac ſi illis perſonaliter intimatæ fuiſſent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, ſtatuti, decreti,

reſer-



reseruationis, prohibitionis, inhibitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, quintodecimo Kal. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Cæs. Glorierius.

H. Cumyn.

Visa de Curia M. de Enciso.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, Indictione decima, die verò decimasexta mensis Maij, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris, & D.N.D. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno eius Secundo, retrospectæ literæ affixæ & publicatæ fuerunt in retrospectis locis, vt moris est per nos Alexandrum Astancollum, & Iohannem Guerardum prælibati Sanctissimi D. N. Papæ Cursores.

Antonius Clerici Magister Curs.

**DECLARATIO FACULTATIS ORDINARIORVM**  
visitandi, & corrigendi loca, & personas Militiæ, & Hospitalis Sancti Iohannis Hierosolymitani, in his dumtaxat, quæ concernunt curam animarum, & administrationem Sacramentorum.

Similem declarationem fecit Greg. 13. in eius const. 88. Consuevit sedes, & vide etiam Greg. const. 67. Circumspecta in omnibus.

De materia autem Priuilegiorum istius Militiæ, & Hospitalis posui concord. sup. in Pij 4. const. 14. Circumspecta, fol. 663.

Pius Papa Quintus, Ad futuram rei memoriam.

**E**XPOSCIT Pastoralis officij debitum, cui disponente Domino præsidemus, vt ad ea solite intendamus, per quæ discordiarum & litium, ac controuersiarum quarumlibet materia tollatur. Sanè cum nonnulli ex Venerabilibus fratribus Episcopis dilectos filios Magistrum, Baliuos, Castellanos, Emposse, Priores, Donatos, Capellanos, Fratres, Milites, & alias quascunque personas, Hospitalis S. Iohannis Hierosolymitani ratione Ecclesiarum curam animarum habentium, illarumque Rectores, & Ministros ad ipsum Magistrum spectan. & pertinent. iuxta Sacri Oecumenici Concilij Trid. visitare, dictus verò Magister, & alij prædicti ipsos, illorumque Ecclesias, Capellanos, & Ministros dictis decretis minimè comprehendendi, sed ab illis exemptos esse prætenderent, materia quæstionis orta. Nos igitur eorum paci, & quieti consulere volentes omnes lites, & controuersias huiusmodi tam in Romana Curia, quàm alibi coram quibuscunque Iudicibus in quacunque instantia penden. illarumque status, & merita pro sufficienter expressis habent. ad nos auocantes, eas cassamus, extinguimus, & super illis perpetuum silentium imponimus, ac omnes dictæ Militiæ personas à quibusuis censuris harum controuersiarum occasione, contra eas per quoscunque latis, & incurfis absoluimus: Et nè in futurum aliqua amplius controuersia oriri possit decernimus, declaramus, statuimus, omnes, & singulos locorum Episcopos, & alios Superiores tanquam Apostolicæ Sedis delegatos omnes, & quascunque Parochiales Ecclesias, ceteraque beneficia Ecclesiastica suarum Ciuitatum, & Diœc. quibus animarum cura imminet, ad dictam Religionem, eiusque Milites, Capellanos, Ministros, Rectores quomodolibet pertinent. etiam quòd in eis Episcopalem, & temporalem iurisdictionem Reli-

Bbb gio,



gio, & Milites prædicti haberent, eorumque Ecclesias, Rectores, Vicarios, & Ministros quoscunque ( in his tamen dumtaxat, quæ animarum curam illiusque exercitium, & Sacramentorum administrationem respiciunt ) visitare, omnesque actus visitationem concernentes exercere posse, & debere, ac Rectores, ceterosque huiusmodi Ministros curam animarum exercentes minus idoneos repertos, siquidem ad nutum amouibiles sint statim amouere, sin verò titulares sint illico suspendere, ac Superiores eorum monere, vt intra aliquem breuem terminum in locum amotorum subrogent alios idoneos, prius tamen per ipsos Episcopos, & alios Superiores examinatos, & approbatos, titularibus verò suspensis deputent alios idoneos pariter examinatos, & approbatos, vt supra in coadiutores, seu Vicarios iuxta decretum Concilij, Sessione vigesima prima, capite sexto. Interea verò dum hæc subrogatio, seu deputatio fiat; ipsi Episcopi, & alij Superiores pro necessitate curæ animarum prouideant arbitrio suo: quòd si Superiores dictorum Rectorum, & Ministrorum intra tempus præfixum non subrogauerint, aut deputauerint vt supra, tunc dicto termino elapso ipsi Episcopi, & alij Superiores alios præuio examine iuxta eiusdem Concilij formam idoneos repertos in locum amotorum subrogent. Titularibus verò suspensis coadiutores deputent iuxta dictum capitulum sextum, Sessione vigesima prima, qui tamen in dictis Parochialibus perinde inferuiant, ac si subrogati, aut deputati ab ipsis Superioribus Religionis, & Militum prædictorum fuissent. Volumus autem, quòd Episcopi, & alij Superiores prædicti visitationem huiusmodi, & prædicta omnia solum tanquam delegati Apostolicæ Sedis, & gratis, & absque vllis dictæ Religionis Rectorum, & Ministrorum impensa, & onere faciant, in collatione item ordinum, necnon consecratione Ecclesiarum, & sacrorum vasorum, ac benedictionibus, & alijs actibus spiritualitatem concernentibus, ac institutione presentatorum ab eisdem Militibus ad beneficia, aut approbatione, seu confirmatione, quas ab eisdem fieri harum præsentium vigore contigerit, gratis omnia faciant, & diligenter attendant, vt nullos admittant, qui qualitates à Concilio requisitas non habeant, ac præuio examine iuxta eiusdem Concilij decreta idonei non existant. Nolumus autem Episcopos, & alios Superiores locorum superscripta facultate visitandi vti, qui cum eadem Religione, & Militibus super iurisdictione Episcopali in locis visitandis coram quibuscunque Iudicibus litigant, nisi inibi ipsi Episcopi, & alij Superiores in quasi possessione antiqua exercitij iurisdictionis huiusmodi existerent, saluo tunc iure vtrique illæso in petitorio, sed quòd Episcopi, & alij Superiores viciniore ius aliquod in iurisdictione huiusmodi non habentes nullumque interesse prorsus prætendentes, facultate prædicta vtantur. Nolumus item per presentes, vllum afferri præiudicium iuri visitandi dictas Parochiales Ecclesias, & alia beneficia curam animarum habentia, quòd antea Religioni, & Militibus prædictis competeat, Inhibemusque expresse dictis Episcopis, & alijs Superioribus nè hac facultate visitandi eis per presentes concessa alio vtantur modo, quam præscripto. Sicque per quoscunque Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungent. sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Non obstant, præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, in Provincialibusque, & Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus, necnon quibusuis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, vsibus & naturis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium forsitan quomodolibet concessis, & confirmatis, quibus omnibus, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum inferrentur presentibus pro sufficienter expressis habent. illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat ad effectum præsentium specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrarijs quibuscunque Volumus autem, quòd præsentium transcriptis manu Notarij publici



subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ presentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ, apud Sanctum Petrum sub Annulo piscatoris, die vigesimo-seculo Septembris, millesimo quingentesimo septuagesimo primo. Pontificatus nostri Anno sexto.

Cef. Glorierius.

S. D. N. D. PII PAPÆ V. STATVTVM, DE FRVCTIBVS,  
quos amittunt, qui horas Canonicas non recitant.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

**E**X proximo Lateranen. Concilio pia & salubris sanctio emanauit, vt quicumque habes beneficium Ecclesiasticum cum cura, & sine cura, si post sex menses quam illud obtinuerit, diuinum officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis officij & temporis, suos non faciat: sed eos, tanquam iniuste perceptos, in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum elemosynas erogare teneatur. Veruntamen multorum animi suspensione tenentur, cuiusmodi ratæ prædictæ ratio sit habenda. Nos huic rei euidentius, atque expressius providere volentes, statuimus, vt qui horas omnes Canonicas vno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur: qui vero matutinum tantum, dimidiam: qui cæteras omnes horas, aliam dimidiã: qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat: tametsi aliquis, choro additus, non recitans, omnibus horis Canonicis cum alijs præsens adsit, fructusq; & distributiones fortè aliter assignatas, sola præsentia iuxta statuta, consuetudinè, fundationem, vel aliàs sibi lucrifecisse prætendat. Is etiam præter fructuum, & distributionum amissionem: Item ille qui primis sex mensibus officium non dixerit nisi legitimum impedimentum ipsum excusauerit, graue peccatum intelligat admisisse. Declarantes præstimonias, præstimoniales portiones, & qualiacunque alia beneficia, etiam nullum omnino seruitii habentia obtinentes, cum prædictis pariter contineri. At quicumq; pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas vt clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium paruum Beatæ Mariæ Virginis decernimus obligatū; & pensionum, fructuum, rerumq; ipsarum amissioni obnoxium. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum, statuti, declarationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Dat. Rom. Apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo septuagesimo primo, Duodecimo Kal. Octobris. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Cef. Glorierius.

SANCTISSIMI D. N. D. PII PAPÆ V. CONSTITVTIO,  
Super recitatione officij Beatæ Mariæ Virginis, cum Decretis,  
& indulgentiis.

Pius Episcopus, seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

**S**uper omnipotentis Dei prouidentia, ac benignitatis exemplo excitati, qui vt humanum genus ab errorum tenebris vendicaret, & in veritatis semitam perduceret, suæ gloriæ splendorem è cælis in terram dimittere, lucisq; æternæ radiis bonos pariter & malos perfundere dignatus est, meditatio cordis nostri

B b b 2 ad id



ad id potissimum tendit, vt fides catholica non solum vbique augeatur, & floreat, sed etiam ne errorum tenebrae, atque superstitionum abusus pijs Christifidelium mentibus inducantur, & si quae irreperunt, protinus euellantur. Cum itaq; in executionem decretorum Sacri Concilij Trident. gratia diuina assistente, Catechismo ad populi eruditionem edito, Breuiario ad sacras preces laudes, & gratias Deo optimo maximo ab vtriusq; sexus Ecclesiasticis persoluendas reformato, atque Missali, vt Sacerdotes intelligerent, quibus precibus, vti, qui ritus, quaeve caerimonie in missarum celebratione obseruandae sint, ad pristinam sanctorum patrum normam restituito, eandem curam & operam adhiberi mandauerimus in emendando ac corrigendo gloriosissimae Dei genitricis beatae Mariae Virginis officio, cuius recitatio sicut pusillis, & rudibus Christifidelibus peculiaris esse dignoscitur, ita multis superfluis non sine legentium etiam scandalo, & quae ad varias superstitiones facile rudes ipsos inducere possunt, auaritia impressorum fuit refertum, qui vt Christifideles ad emendos eiusdem officij libros a se impressos facile allicerent, multa sub colore pietatis, & animarum spiritualis consolationis, ex eorum capite addiderunt, iamq; ad antedicti breuiarij vniuersitatem eiusdem Dei genitricis, vt credimus, intercellione, eruditorum & piorum virorum, quos ad hoc delegimus, studio officium ipsum, refecatis, quae aliena & incerta erant, correctum fuerit, & a nobis probatum, Romae imprimi, & impressum diuulgari iusserimus, vt inde spiritalis, quam optamus, Christifidelium animabus proueniat consolatio: Motu proprio &c. & ex certa scientia nostris, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, officia quaecumque in primis Italico, seu quouis alio vulgari idiomate, & sermone quomodolibet composita, atq; officium anno proximè praeterito 1570. Venetijs apud Iunctas impressum his verbis, licet falso inscriptum: Officium b. Mariae Virginis per Concilium Trid. Pio Quinto Pontifice maximo reformatum, denique & omnia & singula alia officia huiusmodi etiam latino sermone sub Hortuli animae, seu, Thesauri spiritualis compendij, aut quouis alio titulo, & nomine quomodolibet peruulgata, omnemque illorum approbatione Apostolica, ac consuetudine, & institutione, inueneratis infra dicendis semper saluis, harum nostrarum serie perpetuè ab omnibus, & singulis vtriusque sexus Christifidelibus secularibus, vel Ecclesiasticis, etiam quorumuis ordinum regularium, & militiarum religiosi: qui de iure, consuetudine, vsu, statuto, institutione, ac constitutionibus etiam eorundem ordinum, militiarum & regularum, seu alias quomodolibet ad recitationem officij Beatae Mariae tenentur, & obligati sunt tollimus, & abolemus; ipsiq; in virtute sanctae obedientiae interdicimus, ne aliud quam hoc de mandato nostro emendatum Beatae Mariae Virginis Officium, & in impressoria officina Populi Romani pro fideliter, & incorruptè imprimendis libris facris in alma Vrbe nostra erecta impressum, quouis praetextu dicere, recitare, legere, seu tenere quoquomodo audeant, vel praesumant: omni verò alio vsu ipsis (vt vniuersimode ab omnibus sic astrictis, & obligatis recitetur, nec inter eos diuersitas illud recitandi vllò vnquam tempore oriatur) interdicto, praefatum hoc nostrum officium, ac precandi, psallendiq; formulam per vniuersum orbem in priuatis domibus, ac Ecclesijs, Monasterijs, Conuentibus, Capellis, Oratorijs, ordinibus, militijs, & locis etiam exemptis, tam virorum, quam mulierum, in quibus officium ipsum Beatae Mariae Virginis recitari (vt praemittitur) quomodolibet debet, praecipimus legi, dici, & obseruari: illis tamen officiis exceptis (dummodo vulgari sermone, vt praefertur, non sint composita) quae ab ipsa prima eorum institutione à sede Apostolica expresse approbata fuerunt, vel quorum officiorum certum vsu consuetudine, aut ipsa institutione, supra tamen ducentos annos, assidue in Ecclesijs, Monasterijs, domibus, & locis vtriusque sexus Ecclesiasticorum obseruatum fuisse constiterit: quibus sic astrictis, & obligatis, vt inueneratum illum ritum dicendi & psallendi suum officium (dummodo, vt praemittitur, vulgari sermone non sit compositum) non adimimus, sic eisdem, si fortè hoc

nostrum,



nostrum, quod modò peruulgatum est, magis placet (dummodo Episcopus, vel præ-  
 latus, & vniuersum capitulum in eo consentiant) vt illud etiam in choro dicere, &  
 psallere possint, permittimus. Ab eis verò qui ad eiusdem officij Beatæ Mariæ Virgi-  
 nis recitationem non aliqua obligatione tenentur, omnem eorundem officiorù vul-  
 gari sermone quomodolibet compositum, atq; similis idiomatis vulgaris orationù,  
 etiam alijs officijs latini sermonis insertarum, vsum penitus etiam auferrimus: il-  
 los nihilominus, nè vanis inuoluantur superstitionum erroribus, quibus alia ferè  
 omnia huiusmodi officia etiam latino sermone referta esse deprehensum fuit, in Do-  
 mino hortantes, vt ab aliorum Beatæ Mariæ, quàm huius nostri officij lectione ac  
 vsu abstineant, firmiterque credant eisdem alijs officijs multas sua falsis, & confictis  
 sanctorum nominibus confictas orationes fuisse insertas: de quibus sicut de indulgè-  
 tijs, peccatorumque remissionibus, quæ recitantibus plerasque ex orationibus alijs  
 officijs huiusmodi insertis, prout rubricis ibidem appositis designatur, concedun-  
 tur, nullam certam extare apud Ecclesiam rationem, propterea ritui, & ordinatio-  
 ni in huius officij recitatione sic à nobis in vniuersali Ecclesia institutis se confor-  
 mantes, aliud eiusdem Beatæ Mariæ, quàm hoc nostrum officium non perlegant, vel  
 recitent. Ac vt ipsorum officiorum vulgaris idiomatis, & sermonis abusus re ipsa  
 penitus aboleatur, eadem omnia per omnes, & singulos sæculares, vel Ecclesiasticos  
 etiam ad recitationem nequaquam astrictos, Inquisitoribus hæreticæ prauita-  
 tis absque spe illorum vnquam recuperationis, alia verò latino sermone, &  
 alijs libris inserta, ad effectum emendandi & à maculis seu erroribus expurgan-  
 di, sibi postmodum, cum sic per eosdem Inquisitores expurgata fuerint, restituenda  
 consignari quàm primum iubemus: statuentes huic nostro officio nuper edito  
 nihil vllò vnquam tempore per quemcunque quauis auctoritate fungentem quo-  
 uis prætextu addi, detrahi, vel immutari debere; ac omnes & singulos, qui ip-  
 sum Beatæ Mariæ Officium ( vt præfertur ) dicere, psallere, & recitare tenentur,  
 ex huius nostri Romani officij prescripto, & ratione ad id omnino obligatos esse, &  
 neminem muneri suo nisi hac formula satisfacere posse. Ac vt fidelium omnium  
 voluntas, & studium magis ad salutarem huius nostri OFFICII B. MARIÆ  
 VIRGINIS, & orationum in eo reductarum lectionem & vsum incitetur, de  
 omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Patri & Pauli Apostolorum eius au-  
 thoritate confisi, omnibus, & singulis qui ad recitationem huiusmodi non tenentur,  
 quoties istud sic de mandato nostro reformatum quinquaginta dies: qui verò DE-  
 FUNCTORVM OFFICIIVM eodem volumine insertum, alios quinquaginta: qui SEPTEM PSALMOS,  
 aut GRADVALES, etiam eodem volumine insertos, alios quadraginta: & qui aliquam ex ORATIONIBVS  
 ibidem pariter insertis deuotè recitauerint, alios quindecim dies de iniunctis sibi  
 penitentijs misericorditer in domino relaxamus. Obligatis verò eas duntaxat in-  
 dulgentijs concedimus, quæ literis nostris super reformatione noui Bteuarij edi-  
 ctis designantur, & huiusmodi Beatæ Mariæ Virginis, aut Defunctorum officium, vel  
 septem Psalmos, aut Graduales recitantibus conceduntur, Mandantes omnibus,  
 & singulis Venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis,  
 & dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, & cæteris Ecclesiarum prælatis, vt reliqua  
 omnia Beatæ Mariæ Virginis etiam per nos priuatim constituta, ab omnibus ad re-  
 citationem huiusmodi quomodolibet astrictis, ipsa verò vulgaris idiomatis, & ser-  
 monis officia etiam ab his, qui nullo pacto ad id astricti sunt, penitus omitti, reijci  
 atque vulgari sic, & pariter alia etiam latino sermone composita, etiam alijs libris  
 inserta, inquisitoribus prædictis ad effectum antedictum tradi consignari, iuris op-  
 portunis remedijs curent; officium verò istud nostrum Beatæ Mariæ Virginis in  
 omnibus & singulis suarum ciuitatum, & Diocesium Ecclesijs, monasterijs, conuen-  
 tibus, ordinibus, militijs, oratorijs, domibus, & locis etiam laicorum introducât, &  
 tam ipsis, quàm cæteris omnibus præbyteris, clericis, & alijs vtriusque sexus secu-



laribus, & regularibus personis Ecclesiasticis, necnon militibus etiam exemptis, quibus dicendi, recitandi, psallendique officium huiusmodi quomodolibet (vt præfertur) iniunctum est, vt ex huiusmodi formula vbique illud recitare & psallere procurent, prædicta institutione vel consuetudine ducentos annos superante (non tamen quò ad vulgaris sermonis officia) semper salua. Concionatoribus quoque verbi Dei, atque confessoribus, vt in eorum prædicationibus, atque confessionibus omnibus vtriusque sexus Christifidelibus prohibitionem, & abolitionem dictorù officiorum vulgari idiomate, & sermone compositorum, quodq; Inquisitoribus hæreticæ prauitatis quàm primum consignari debeant. Insuper alterius quàm huius nostri officij vsum & lectionem periculo superstitionum non carere; ac illud & alia eo inserta (vt præfertur) recitantibus supradictam de iniunctis sibi pœnitentijs relaxationem nostram significare, & eos ad conformandos se in hoc prompta deuotione ritui, & ordinationi à nobis institutis excitare, ad vsumque & recitationem huiusmodi nostri officij pietatis zelo hortari studeant. Cæterùm hæreticæ prauitatis Inquisitores quibus officia hæc, & libros tradi & consignari continget, munus & officium præcipuum erit, omnia; superstitiones, & errores in fide catholica redolentia omnino delere. Quod nostrum Beatæ Mariæ Virginis officium, vbique terrarum incorruptum, ac mendis & erroribus purgatum præferuetur, ac omnibus in nostro & S. R. E. dominio mediatè vel immediatè subiecto commorantibus, vel ad illud quouis prætextu aduenientibus impressoribus, & alijs quibuscunque sub amissionibus librorum, ac quingentorum ducatorù auri de Camera ipso facto quoties contrauerint officio Sanctissimæ Inquisitionis applican. reliquis verò in quacunque orbis parte consistentibus sub excommunicationis latæ sententiæ, & alijs arbitrij nostri pœnis inhibemus, nè illud infra sex annos proximos separatim, vel alijs libris insertum, sub prædictis Hortuli animæ, Theauri spiritualis compendij, vel alijs quibusuis nominibus & titulis imprimere, aut alibi quàm in alma Vrbe nostra, & antedicta Pop. Rom. officina impressum tenere, recipere, donare, aut vendicare publicè vel occultè audeant, vel præsumant. Dictis verò sex annis elapsis id etiam aliter non liceat, nisi cum nostra, & Romani Pontificis pro tempore, vel specialis ad id commissarij Apostolici in singulis Christiani orbis regnis & prouincijs deputandi, expressa licentiâ. Quas quidem nostras perpetua roboris firmitate subsistere, & nullo vnquam tempore reuocari, alterari, suspendi, limitari, aut moderari posse, in valuisq; principis Apostolorum de vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & in acie campis Floræ de more publicari & affigi, per huiusmodiq; publicationem & affixionem, omnes & singulos in eis comprehensos, videlicet, qui in Rom. Cur. adsunt, lapsò mense; qui verò alia loca intra montes, post tres; & qui vltra incolunt post sex menses, aut cum primum sibi officium hoc nostrum venale propositum fuerit, ita volumus obligatos esse, & astrictos, ac si ipsismet illæ corâ lectæ & intimatæ essent: ipsa quoque exempla manu notarij publici, & sigillo prælati Ecclesiastici aut illius curiæ obsignata, vel etiam dicti officij nostri B. Mariæ Virginis voluminibus absque prædicto vel alio quopiam adminiculo, Romæ tamen, & in officina antedicta impressa, eandem prorsus vbique fidem facere, quæ præsentibus adhiberetur, si essent ostensæ vel exhibitæ. Et sic in præmissis omnibus & singulis per quoscunque iudices & commissarios etiam S. R. E. Cardinales, & causarum Palatij Apostolici Auditores in quavis causa, & instantia, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari, & interpretari debere, necnon irritum, & inane decernimus, quicquid secus super ijs à quouam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis ac in quibusuis synodallibus, Prouincialibus, vel generalibus, ac vniuersalibus Concilijs editis, alijsq; etiam Apostolicis constitutionibus, & ordinationibus, necnon Ecclesiarum, militiarum, & ordinum quorumcunque statutis, vbi bus, naturis, & consuetudinibus, etiam iuramento roboratis, quibus omnibus, &

singulis



ſingulis etiam ſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis expreſſa, & indiuidua mentio habenda eſſet, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrarijs quibuſcunq; . Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abolitionis, interdicti, præcepti, permiſſionis, ablationis, iuſſionis, ſtatuti, mandati, voluntaris, decreti, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ milleſimo, quingentefimo, ſeptuageſimo quinto Idus Martij. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

Ceſ. Glorierius.

DE RELIQUIIS NON TRANSFERENDIS,  
aut tradendis.

Gregorius Papa XIII.

**A**D Perpetuam rei memoriam . Pontificæ ſolicitudinis eſt ſacrarum reliquiarum, quæ diuinæ charitatis pignora, & locorum ubi aſeruâtur præſidia ſunt, conſeruatiõni proſpicere. Cum igitur in Synodo Prouinciali ſexta Mediolanenſi illud cautum ſit, vt ne abſque Epifcopi conceſſu facultate ve literis conſignata, extra Dioceſim ſacras reliquias etiam aliunde allatas aſportari, nec verò intra Dioceſis fines ab vna ad aliam Eccleſiam transferri, alijs Eccleſiæ donari, aut cuiquæ Eccleſiaſtico, laicove homini earum aliquam particulam priuatim concedi, tradi, donari ve liceat, propoſita excommunicationis pœna ſtatim tam ei ſubeunda, qui conceſſerit, donarit, tradiderit ve, quàm illi, qui acceperit, aſportarit ve. Nos ipſarum reliquiarum perpetuæ aſeruatiõni, atque cuſtodix opportuniuſ conſultum, & prouiſum eſſe volentes, Quòd nemini tam ſeculari, quàm cuiuſ uis ordinis regulari etiam exempto, & etiam Epifcopali dignitate fulgenti in Prouincia Mediolanen. ſacras huiuſmodi reliquias ab vna Eccleſia ad aliam transferre, ſeu aliò aſportare, aut cuiuſ perſonæ illas, vel illarũ particulam tradere liceat abſque noſtra, & Sedis Apoſtolicæ licentia, ſub excommunicationis pœna ipſo factò incurrenda tenore præſentium perpetuò prohibemus. Non obſtantibus priuilegijs, exemptionibus, immunitatibus, ceteriſque contrarijs quibuſcunq;. Datum Romæ apud Sanctũ Petrũ, ſub annulo Piſcatoris, die 15. Februarij. M. D. LXXXIII. Pontificatus Noſtri Anno vndecimo.

Subſcript. Ceſ. Glorierius.

DECLARATIO PORTIONVM ASSIGNAN. VICARIIS  
perpetuis Parochialium pijs locis perpetuò vnitarum.

De huiuſmodi portionibus habes in Concil. Trident. Seſſ. 7. cap. 5. & ſequentibus. De Reformat.

De vnionibus autem habes ibidem, & etiam in Seſſione 14. cap. 9. & Seſſ. 24. cap. 13. De Reformat.

Pius Epifcopus ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

**A**D exequendum Paſtoralis officij debitum, vigilãtib; ſtudijs intendentes, ad ea, per quæ Cathedralium aliarumve Eccleſiarum, necnon monaſteriorum, beneficiorum, ſeu collegiorum, ac aliorum piorum locorum proſpero proſpectui, diuini que cultus augmento, & opportune congruæque ſub-



stentationi Parochialium Ecclesiarum eisdem vnitatum statui feliciter dirigendo, & personarum in illis curam animarum exercentium vtilitati recta ratione, & prouida moderatione consuli, & salubriter prouideri valeat, libenter interponimus nostrae sollicitudinis partes. Hinc est quod nos, ad quorum aures (quod non sine animi nostri molestia referimus) peruenit nonnullos ex venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, in deputandis Vicarijs, ac in assignatione portionum Vicarijs perpetuis Parochialium dictis Ecclesijs, monasterijs, beneficijs, collegijs, vel locis pijs perpetuo vnitatum ex Concilio Tridentino facienda, ita modum excessisse, vt parum aut nihil ex fructibus, redditibus, & prouentibus Parochialium Ecclesiarum sic vnitatum Ecclesijs, monasterijs, beneficijs, collegijs, alijsve locis pijs remanserit, ob idque multae ortae sint super hoc controuersiae circa interpretationes decreti dicti Concilij. Nos ad eas tollendas animum intendentes, considerantesque vniones ipsas ideo a praedecessoribus nostris factas esse, vt ex redditibus, & emolumentis beneficiorum vnitatum, Ecclesijs, monasterijs, collegijs, beneficijs, & locis pijs, in quibus illa vniuntur, facilius onera eisdem incumbentia supportentur, & promptius a ministris Ecclesiasticis, in eisdem diuina officia celebrentur, hospitalitas seruetur, aliaque charitatis opera exercentur, ac etiam vt nihilo minus cura animarum dictarum Parochialium laudabiliter exerceretur: Motu proprio, & ex certa nostra scientia auctoritate Apostolica hac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus, & ordinamus, ac declaramus, quemadmodum etiam de ipsius Concilij mente fuisse colligimus, Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos praefatos in assignatione portionis ipsis Vicarijs perpetuis ex praedicto Concilio ipsorum Praelatorum arbitrio facienda ita se continere & arbitrari debere, vt non maior centum, nec minor quinquaginta scutorum annuorum summa computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & alijs obuentioibus communiter percipi solitis eis omnino assignetur, nisi Vicarijs temporarijs solitum fuisset plus assignari, siue in quantitate, aut quota fructuum, pecuniaque numerata, fundo, seu alia re stabili portio huiusmodi constituatur, cuiuscunque valoris Parochialis Ecclesia vnita fuerit, & habita etiam ratione reddituum, & onerum loci, cui Parochialis ipsa vnita fuerit, ita quod portiones ultra, vel infra dictas summas scutorum centum, & scutorum quinquaginta haecenus assignatae, vel imposterum forsitan assignatae, quod ad excessum, & defectum huiusmodi nullius roboris, & momenti existant, & ad summas praedictas reductae, & auctae respectiue censeantur, nisi tamen valor annuus ipsius Parochialis vnitae habitata ratione (vt praefertur) minor sit quinquaginta scutis, quo casu portio assignata, vel assignanda Vicario perpetuo non debeat excedere summam annuarum valoris dictae Parochialis, sed sufficiat quod omnes fructus eius dumtaxat attribuantur ipsi Vicario perpetuo. Et quoniam iniquum esset, eos qui commodis priuantur, eadem onera quae prius sustinebant debere sustinere, volumus, & statuimus, quod Ecclesiae, monasteria, collegia, beneficia, & pia loca huiusmodi, in quorum Parochialibus Ecclesijs vnitis continget Vicarias praedictas erigi, pro quantitibus fructuum ipsis Vicarijs perpetuis assignatorum, ad solutionem quinquenniorum, quam nobis & Camerae Apostol. soluunt, ulterius non teneantur, sed eis detractio fiat ad ratam certorum, quae de fructibus dictarum Parochialium percipiuntur. Ita tamen quod Vicarij perpetui, qui pro tempore deputabuntur, teneantur accipere a Sede Apostol. nouam prouisionem seu deputationis, & soluere annuatim pro portione fructuum, reddituum, & prouentuum certorum sibi assignata, & expedire literas Apostolicas, nec alias ad possessionem dictarum Vicariarum perpetuarum, & seruitium earundem Parochialium admitti possint, nisi soluta Annata, & expeditis literis Apostolicis nouae prouisionis, vt praefertur: alioquin integrum quinquennium solui debere, nec Vicarij praedicti antea tuto conscientia fructus percipere possint. Volumus insuper, & ita mandamus, quod dicti Vicarij perpetui non ad liberam ordinariorum electionem, sed ad no-



minationem illorum, in quorum Ecclesijs vnitis ponentur, cum ipsorum ordinario-  
rum, seu eorum Vicariorum præuio examine approbatione deputentur. Et si dictæ  
Parochiales vnitæ erunt monasterijs regularium Mendicantium, possint à superiori-  
bus dictorum Monasteriorum nominari ex ipsis Mendicantibus, quos si ordinarij  
præuio examine per se, aut eorum Vicarios faciendo idoneos ad curam animarum  
exercendam inuenerint, & ita pro idoneis approbauerint, teneantur in Vicarios, ad  
nutum tamen Superiorum suorum amouibiles deputare.

Idemque etiam seruetur in regularibus Monachis tantum, dummodo in ea Paro-  
chiali, in qua vnus ex eis Monachis fuerit, seruata forma prædicta, Vicarius depu-  
tatus, habitent cum eo saltem quatuor alij ex dictis Monachis. Sicque per quos-  
cunque Iudices quauis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quauis  
aliter iudicandi, & interpretandi potestate, iudicari, & interpretari debere: Necnon  
irritum, & inane decernimus quicquid secus à quoquam quauis auctoritate atten-  
tatum forsitan est hætenus, vel in posterum contigerit attentari. Non obstantibus  
constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrarijs quibuscunq;  
Volumus autem quòd præsentis literæ in Cancellaria nostra Apostolica, & ad val-  
uas Principis Apostolorum de Vrbe de more publicentur, & inter constitutiones per-  
petuò valituras describantur. Et quia difficile foret eas ad singula quæque loca  
deferri, quòd earum transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij publici sub  
scriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præ-  
sentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum  
liceat hanc paginam nostræ ordinationis, declarationis, statuti, mandati, decreti, &  
voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare  
presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apосто-  
lorum eius se nouerit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo  
quingentesimo sexagesimo sexto, Kal. Nouembris, Pontificatus Nostri Anno Se-  
cundo.

Cæs. Glorierius.

H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi millesimo quingentesimo sexage-  
simoseptimo, Indictione decima, die verò decimaquinta Mensis Nouembris, Ponti-  
ficatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ. Quin-  
ti Anno eius Secundo, Retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt  
ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, ibi-  
dem dimissis copijs affixis per nos Io. Andream Rogerium, & Antonium Clerici Cur-  
fores Apostolicos.

Ioannes Guerardi Magister Curs.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

DE P O E N I S T R A H E N T I V M P E R S O N A S

Ecclesiasticas ad forum laicale pro causis ad forum Ecclesia-  
sticum spectantibus.

Martinus Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei  
memoriam.

**A**D reprimendas insolentias transgressorum, eorumque præsumptionem re-  
frenandam, si neruus Ecclesiasticæ disciplinæ lentescat, eorum voluntas pre-  
cliuior sit ad peccandū, & exemplū impunitatis periculosus in alios deriuat-  
ur. Propter quod ad præsentis officium pertinet, sic debitam executionē adhibere

iustitæ



iustitia, quod commissa iam puniat, & committendorum in potterum audaciam interdicit. Sanè, sicut displicenter accepimus, nonnulli diuersorum regnorum, & terrarum iudices, alijq; officiales laici, & laicales personæ, iurisdictionem in temporalibus exercentes, exerceriq; facientes, non attendentes, quòd laicis in clericos, & Ecclesiasticas personas, & illorum bona, nulla sit attributa potestas, prætextu huiusmodi (quòd asserant in suis dominijs ad se pertinere coercere via facti, quæ verè & fide attendata asseruntur, etiam in quocunq; casu, etiam si ratione delationis corporis Christi, collationis Sacramentorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum venditionis factarum, aut aliarum rerum, & bonorum ad Ecclesias, & Ecclesiasticas personas pertinentium quomocunq; etiam si sola negatione, vel affirmatione, facti interueniat, & ad eos recurratur, cognitionem ac se spectare, pro eo quod factum, & nouitas, quæ prætentur, etiam sine alia violentia, quamuis in loco spirituali, & in loco sacro, siue religioso, eò quòd immediatè, vt prætentur, spiritualia non existant) propterea ministros Ecclesiæ, & personas Ecclesiasticas, quantumcunq; res, causa, vel occasio vnde dependeat, & deriuantur, pia, sacra, vel Ecclesiastica sit, aut spiritualis, ad forum suum, & ipsarum cognitionem trahunt, & respondere cogunt. Necnon procuratores fiscales in curijs temporalibus multoties agere procurant, ad quos (quod deterius est) nonnulli prælati, & personæ Ecclesiasticæ in superbiam, & elationem dati, ad superandum, & sibi subiiciendum per tales inuentiones, & cautelas, alias personas Ecclesiasticas, & religiosas, habent plerunq; recursum; & propterea in eisdem regnis, & terris, Ciuitatibus, castris, & locis, auctoritas, & iurisdicção Ecclesiastica penitus absorbentur; Et nihilominus ipsi laici Iudices, alios laicos respondent in foro Ecclesiastico super rebus quantumcunq; Ecclesiasticis, vel spiritualibus, & concernentibus immediatè Ecclesiasticas personas, ne respondeant, & Iudicibus Ecclesiasticis, ne cognoscant, inhibitiones fieri sub grauibus pœnis temporalibus faciunt, & procurant; & si secus fecerint, emendam pecuniariam excessiuam exigere, ac vastatores in domibus, & pijs alijs locis Ecclesiasticis, & religiosis inducere, ac loca ipsa, personasq; Ecclesiasticas, iocalibus, & paramentis Ecclesiasticis, & bonis mobilibus, ac alijs spoliare, illaq; vendere, & alie, fructus quoque & prouentus ad temporalitatem ad manus suas ponere, necnon diuersas iniurias, & molestias reales, & personales eisdem personis Ecclesiasticis inferre non verentur, in Dei offensam, animarum suarum periculum, Ecclesiasticæ libertatis vilipendium, & plurimorum grauamen, præiudicium, & iacturam. Nos igitur aduersus talia præsumptum temeritatem, remedia apponere, & super his salubriter prouidere cupientes, ac Concilij Mileuitan. ac fel. rec. Innocentij Papæ III. prædecessoris nostri constitutionibus super hoc æditis, auctoritate Apostolica, ex certa scientia, hac nostra irrefragabili constitutione perpetuò duratura, tenore præsentium statuimus, decernimus, ac etiam ordinamus, quòd omnes, & singulæ personæ Ecclesiasticæ, sæculares, & regulares ordinum quorumlibet, quacunq; exceptione suffultæ, etiam si Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, Abbatiali, vel alia qua uis præfulgeant dignitate, quæ aliam personam Ecclesiasticam, Collegium, vel conuentum, in actione reali, mixta, vel personali, ciuili, vel criminali, etiam occasione cuiuscunq; submissionis, etiam iuramento vallatæ, vel aliàs ad forum, siue iudicij laicale, directè, vel indirectè (de qua in foro Ecclesiastico ordinari consueuerit, possit, vel debeat, de iure, vel de consuetudine, aut aliàs cognosci) trahere præsumpserit, causam ipsam, & omne ius ei, siue eis, in possessorio, vel petitorio in re, vel ad re, causa, vel occasione huiusmodi quomodolibet competens, eo ipso perdant penitus, & amittant, & singulares personæ, excommunicationis, capitula verò, & conuentus, suspensionis, & interdicti sententias incurrant ipso facto; & si personæ ipsæ, & eis in præmissis adhærentes, & seruentes, in aliquo rebelles fuerint, & incontinenti non obediuerint, omnes illas per priuationem suorum beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcunq; quæ obtinebant, & in quibus, & ad quæ ius quomodolibet compe-



tit, & inhabitationem ad alia in posterum obtinenda, coerceri, & compelli volumus antedictas. Et nihilominus omnes & singulos Iudices, & Executores, Communitates, dominia, laicos, & laicales personas, postquam exceptum fuerit de non iurisdictione eorum, aut euidenter appareat huiusmodi cognitionem ad eos de iure non spectare, talia praesumentes, & ea fieri mandantes, seu eorum nomine, & mandato facta, rata habentes, vel eis faciendis dantes auxilium, consilium, vel fauorem, cuiuscunque praeseminentiae, dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis, existant, seculares personas; eorum videlicet singulos officiales, quocumque nomine censeantur, & consiliarios, & priuatas personas, quae praemissorum principales perpetratores existerent excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto, nullusque ab eisdem sententijs, per alium quam per Romanum Pontificem praeterquam in mortis articulo constitutus, absolui valeat, siue possit: & praemissa omnia, non tantum ad futura, sed etiam ad praesentia, & pendentia extendimus auctoritate memorata; quodque etiam procurator fiscalis causarum Cu Camerae Apostolicae contra culpabiles in praemissis desuper summaria informatione praehabita, per se, vel alium, seu alios, agere & procedere possit & valeat, nihilominus concedentes. Non obstante si aliquibus communiter, vel diuisim a sede Apostolica sit indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de eorum proprijs nominibus, ac indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet constitutionibus, priuilegijs, indultis, & literis Apostolicis, de quibus etiam plena, & expressa, ac de verbo ad verbum, in nostris literis habenda est mentio specialis, ceterisque contrarijs quibuscunque. Nulli ergo &c. nostrorum statuti, decreti, ordinationis, & voluntatis, infringere &c.

Datum Romae apud Sanctos Apostolos Kal. Februarij Pontificatus Nostri Anno vndecimo.

DE MATERIA HABES CLEM. VI. CONSTIT. I.  
in Bull. fol. 39 & Inn. 6. constit. I. fol. 42. & Inn. 7. const. I. fol. 49.  
& Greg. XIII. constit. 64. ad Romani fol. 1289.

Leo Episcopus seruus seruorum Dei. Ad futuram rei  
memoriam.

**I**nter graues sollicitudines, & curas quibus pro pastoralis officij, & Apostolicae seruitutis debito continuè praemimur, vna est peculiarijs, qua semper angimur, vt defensionem, & custodiam Ciuitatum, & Terrarum, & locorum nobis, & Sanctae Romanae Ecclesiae subiectorum assiduè inuigilemus, ac ne peruersorum temerarijs ausibus, a quibusuis gentium armorum ductoribus, qui sine iustitiae ministerio, sed hostili manu, & propria temeritate procedunt, occupentur, & dissipentur, omnibus remedijs, & iuris auxilio opportunè prohibere, quod tantò periculosius negligitur, quantò exinde turbatio, & confusio Ciuitatum, & Terrarum Ecclesiastici status de facili causaretur, & Pontificalis autoritas minueretur. Cum itaque opem, & operam efficaces adhibere debeamus, vt omnes Christifideles, praesertim in terris, & locis nobis, & dictae sedi mediata, vel immediata subiectis existentes, sublati quibuscunque armorum strepitibus, & impedimentis quietè, & pacificè viuere valeant, omnibus iuris remedijs (vbi etiam peruersorum audacia exigit, vibrato Apostolicae potestatis mucrone) per censuras Ecclesiasticas providere volentes. Sanè cum mente reuoluimus quot & quantos labores fel. record. Iulius Papa I I. praedecessor noster pro recuperatione Ciuitatum, Terrarum, & locorum ad Romanam Ecclesiam Canonico titulo pertinentium, quae à diuersis Ducibus, Principibus, & potentatibus longo tempore occupata, & detenta fuerant, passus sit; praesertim cum adductus fuerit consilium capere de aduendis per seipsum, visitandis, & reformandis aliquibus Ro-

manae



manę Ecclesię Ciuitatibus, & illarũ statu, assumptis etiam aliquibus copijs, vt contumaces compescere posset, iter matura deliberatione cum Sanctę Romanę Ecclesię Cardinalibus, ipsi eum comitantibus, arripere, illaq̄ue felici, & prospero successu, dextera Domini sibi etiam assistente, recuperauerit, & dictę Romanę Ecclesię reintegrauerit. Nos etiam post nostram ad summi Apostolatus apicem, diuina fauente clementia assumptionem, Parmam, & Placentiam Ciuitates, quibus Apostolica sedes, ea tunc vacante, spoliata fuerat, summa diligentia restitui curauimus, Vt omnia quęq̄; per eundem Iulium prædecessorem recuperata, pro nostro & dictę sedis honore, non minori diligentia, ac opportunis iuris remedijs cõseruare intendimus, quam idem Iulius prædecessor, cum in humanis ageret, recuperare studuerit: animo etiam semper gestimus, Reges, & Principes, ac Potentatus, quos tempore assumptionis nostrę huiusmodi inter se bello dissidentes audiuimus, non armis, sed concordia, eorum differentias, & lites, Domino concedente, terminari, & inter fideles quolibet, controersias super quacunque, etiam maximas importante re, via iuris, & non armis, decidi, & terminari, ipsaq̄; arma Regum, & Principum, ac Potentatum prædictorum vnanimi consensu contra immanissimos CHRISTI nominis hostes, ad fidei exaltationem conuerti, summo studio concupimus. Et cum à quampluribus prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, constitutiones, diuersas censuras, & pœnas in se continentes, contra occupantes Ciuitates, & Terras, & loca huiusmodi, aut illa hostiliter inuadentes emanauerint, & singulis annis censurę huiusmodi contra talia præsumentes in die Cœnę Domini innouentur, ea propter nõ terarum, aut locorum, ac iurium, seu honorum Sanctę Romanę Ecclesię curam negligere videamur; necnon ad tollendam super præmissis ignorantię, aut cuiuslibet alterius generis excusationem; omnes, & singulas constitutiones, & literas Apostolicas, ac processus, qui singulis annis publicè promulgantur in die Cœnę Domini, ex more Romanorum Pontificum, ac alias quascunque constitutiones, seu Canonicas sanctiones quomodolibet editas, excommunicationis, ad alias sententias, censuras & pœnas contra Ciuitates, & Terras, loca, & iura ad dictam Romanam Ecclesiam pertinentia occupantes, aut illa hostiliter inuadentes, vel ad id per se, vel alium, seu alios, auxilium, consilium, vel fauorem, directè, vel indirectè, aut alias quouis quęsito colore præstare præsumentes, cuiuscunque ordinis, præminentię, & conditionis, & status, etiam si Cardinalatus, aut Patriarchali, Regali, Reginali, aut alia quouis Ecclesiastica, vel mundana, præfulgeant dignitate, continentes, approbamus, & innouamus, illasque inuiolabiliter obseruari debere decernimus: ac omnes & singulos Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones, ac Communitatum, Vniuersitatum, tam in Italia, quàm extra Italiam existentium singulas personas, Ciuitates, Terras, & loca, præsertim Parmam, & Placentiam, ad dictam Romanam Ecclesiam mediatè, vel immediatè pertinentia, seu in quarum, vel quorum, aut cuiuslibet earum, vel eorum possessione quomodolibet eadem Sancta Romana Ecclesia per se, vel alium extiterit, hostiliter inuadentes, aut alias eum gentibus armorum, aut stipendiarijs equestribus, vel pedestribus, aut sine, etiam aduocationem, & quomodocunque, & quouis quęsito colore, aut ingenio, absque nostra speciali licentia occupantes, necnon stipendiarios equestres, aut pedestres, quomodolibet contra præfentes literas nostras, & in eis contenta militantes, aut auxilium, consilium, vel fauorem præstantes, ex parte Omnipotentis Dei, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, auctoritate Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, ac nostra, & de potestatis plenitudine, excommunicamus, anathematizamus, ac maledictionis, & damnationis æternę mucrone percutimus, ac omnium Ecclesiasticarum censurarum laqueis ligatos, & irretitos esse, vigore præsentium decernimus, ac reos criminis læsę maiestatis, & à sede Apostolica, & à Sancta Romana Ecclesia, ac omnibus dictę Romanę Ecclesię deuotis, cum eorum bonis perpetuo diffidatos, infames, & inhabiles ad omnes Ecclesiasticas, vel mundanas dignitates, omnesque actus legitimos, & Ecclesiastica

sepul-



sepultura indignos esse, auctoritate, & potestate prædictis etiam decernimus. Et generaliter Ciuitates, Terras, Oppida, & loca quæcunque, ad quæ aliquem eorundem excommunicatorum declinare contigerit, quamdiu ibidem permanserit, etiam triduo post recessum eiusdem, Ecclesiastico interdicto subiicimus, necnon excommunicatos, anathematizatos, & maledictos, titulis, dignitatibus, & honoribus, in quibus constituti existunt, & tam ipsos, quam Communitates, Castra, Oppida, & loca prædicta, omnibus priuilegijs, & indultis, etiam Studij generalis, concessionibus, & gratijs, dignitatibus, honoribus, quibus utuntur, & gaudent, seu muniti sunt, necnon bonis omnibus, quæ in feudum, vel in emphyteosim, seu aliàs à præfata Romana, vel alijs Ecclesijs, Monasterijs, & locis Ecclesiasticis, aut aliàs quomodolibet, etiam ab Imperatore, Regibus, seu alijs Principibus, ac sæcularibus potestatibus obtinent, penitus priuamus, dictasque bona feudalia, vel emphyteotica, ut præfertur, obtenta, ad dominos suos reuerti debere, ita ut de illis liberè disponere possint, decernimus. Et si aliqui excommunicatis, anathematizatis, & maledictis prædictis, clerici, sæculares, vel prælati, etiã in Archiepiscopali, Episcopali, vel alia dignitate, etiam Cardinalatus honore, & beneficiati fuerint; illos dignitate, ac titulo Cardinalatus, necnon prælaturis, administrationibus, regimineque, ac omnibus & singulis beneficijs, dignitatibus, personatibus, officijs, canonicatibus, & præbendis, alijsque beneficijs Ecclesiasticis, ac ordinibus, etiam Sacerdotalibus, ad quos promoti forent, sine vlla spe restitutionis, & absque alia citatione, seu declaratione, priuamus, & ex nunc priuatos esse per præsentis decernimus. Absolui autem à prædictis censuris, sententijs, ac pœnis nullus ex supradictis per alium quam per Romanum Pontificem, nisi duntaxat in mortis articulo constitutus possit, nec etiam tunc, nisi quantum fieri potest, satisfactione præuia, & de stando sanctæ matris Ecclesiæ mandatis, & similia vltèrius non committendo, legitima cautione præstita: aliter autem absoluerè, aut indignos sepultura Ecclesiastica, ut præfertur, sepelire præsumentes, supradictis omnibus, & singulis pœnis eo ipso subiicimus. Quodque de beneficijs prædictis possit, & debeat per sedem prædictam duntaxat, seu ab illa specialem facultatem habentes, absque alia declaratione incurrere pœnæ huiusmodi, liberè illico prouideri, auctoritate prædicta, ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine; ac omnibus, & singulis Ciuitatum, & Terrarum nobis, & Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subiectarum personis, sub eisdem pœnis, quas eo ipso si contrafecerint, absque alia declaratione incurrant, & à quibus, ut præfertur, non nisi à nobis, & successoribus nostris, præterquam in mortis articulo constituti, & debita satisfactione præmissa, absolui possint, in virtute sanctæ obedientiæ, districtè præcipiendo mandamus, nè aliquas gentes armigeras, præterquam ad nostra, & diste S.R. E. stipendia militantes, quouis quæsto colore in Ciuitatibus, Terris, Castris, Oppidis, & locis nobis subiectis, sine nostra speciali licentia admittere, retinere, illisque victualia, aut aliquod subsidium quoquomodo præstare præsumant; eosque, etiam si Cardinalatus honore, vel Archiepiscopali, Episcopali, aut quouis alia Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, si contrafecerint, ipso facto eisdem pœnis subiicere, Ciuitates quoque, Terras, Castra, Oppida, & loca prædicta, ad quæ inobedientes huiusmodi declinare, & in quibus moram trahere contigerit, Ecclesiastico supposita interdico tamdiu firmiter obseruando, donec compuncti corde, huiusmodi interdictioni relaxationem, debita satisfactione præmissa, meruerint obtinere, ac ibidem permanserint, & per triduum post eorum discessum, auctoritate Apostolica, scientia, & potestate prædictis decernimus. Non obstant. præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quibuscunque priuilegijs, & indultis, siue indulgentijs, & literis Apostolicis, generalibus, vel specialibus, à prædicta sede, sub quouis forma, vel tenore, quibusuis ex supradictis, etiam Cardinalibus concessis, quod excommunicari, vel anathematizari non possint, consuetudinibus quoque, obseruantijs, scriptis, ceterisque contrarijs quibuscunque. Et quia difficile foret, præsen-



tes literas ad singula queq; loca, in quibus expediens fuerit, illas deferri, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod illarum transumptis, manu alicuius Notarii inde rogati subscriptis, & sigillo alicuius prelati, seu alterius persone in Ecclesiastica dignitate constitute sigillatis, ea prorsus fides indubia in iudicio, & extra ac alias vbilibet adhibeatur, que presentibus adhiberetur, si essent exhibitę, vel ostense. Insuper vt premissa omnia, & singula ad omnium ad quos spectat, notitiam, & cognitionem deueniat, omniumque in presentibus literis contentorum certa, & indubitata notitia habeatur, nullusque premissorum ignorantiam iuste pretendere possit, nec se legitime excusare valeat, volumus, & decernimus, presentes literas nostras per aliquos Curie nostre Cursores, vel Notarios publicos, in Basilica Principis Apostolorum, & Ecclesia Lateranensi, hora diuinorum, publice, alta & intelligibili voce legi, & publicari, & dictarum Ecclesiarum portis, siue valuis, ac in acie Campi Florę, & Cancellarię Apostolicę affigi, & ibidem per aliquod temporis spatium dimitti debere. Que sic publicatę, & affixę, tunc a die publicationis predictę immediate ligent, & effectum fortiantur, & eos quos concernunt ita ardeant, perinde ac si personaliter eisdem intimatę essent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre approbationis, innouationis, excommunicationis, anathematizationis, percussiois, subiectionis, priuationis, mandati, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignatione omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romę apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicę, millesimo quingentesimo decimoquinto, octauo Kalę. Iunij, Pontificatus Nostri Anno tertio.

Anno a Natiuitate Domini, millesimo quingentesimo decimoquinto, Indię 3. Die vero 26. mensis Maij, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D.N.D. Leonis diuina prouidentia Papę X. Anno tertio, retrospectę literę Apostolicę, vt ad omnium notitiam citius deuenirent alta, & intelligibili voce de verbo ad verbum lectę fuerunt in valuis Basilicę Principis Apostolorum, ac Ecclesię Sancti Iohannis Lateran. dum ibidem diuina celebrarentur, & multitudo populi adesset. Necnon earundem Ecclesiarum, & Cancellarię Apostolicę valuis seu portis, ac acie Campi Florę affixę & publicatę, ac congruo temporis spatio dimissę fuerunt per nos Hubertum Iacobi, & Ioannem Valtrini prefati Sanctissimi Domini Nostri Papę Cursores.

Ita est Ioannes Valtrini qui supra Cursor.

Ita est Hubertus Iacobi qui supra Cursor.

**BVLLA SIVE CONSTITVTIO LECTA DIE COENÆ**  
Domini, Anno 1584.

In nomine Sanctę, & Indiuiduę Trinitatis, Patris, & Filij,  
& Spiritus Sancti. Amen.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

**C**onsueuerunt Romani Pontifices predecesores nostri, ad retinendam puritatem religionis Christianę, & ipsius vnitatem, quę in coniunctione membrorum ad vnum caput, Christum videlicet, eiusque Vicarium principaliter consistit, & Sanctam fidelium Societatem ab offensione seruandam, arma iustitię per ministerium Apostolatus in presentem celebritate exercere.

Nos igitur vetustum, & solennem hunc morem sequentes, excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostol. Petri, & Pauli, ac nostra quosunque Visitas,

Vice-



Vicentitas, Lutheranos, Zuuingianos, Calvinistas, Vgonottos Anabaptistas, Trinitarios, ac omnes, & singulos alios Hæreticos, quocunque nomine nuncupentur, & cuiuscunque sectæ existant, & eorum credentes, ipsorumque receptatores, & fautores, & generaliter quoslibet defensores, ac eorundem libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate nostra, & Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut tenentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quavis causa publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore: nec non Schismaticos, & eos, qui se à nostra, & Rom. Pont. pro tempore existen. obedientia, pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos cuiuscunque status, gradus, seu conditionis fuerint, & interdicimus Vniuersitates, Collegia, & Capitula, quocunque nomine nuncupentur, ab ordinationibus, sententijs, seu mandatis nostris, ac Rom. Pont. pro tempore existentium, ad vniversale futurum Concilium appellantes, necnon eos quorum auxilio, vel fauore appellatum fuerit.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Latrunculos maritimos, & illos præcipuè, qui mare nostrum, a Monte argentario vsque ad Terracina discurrentes, eos, qui in illo nauigant deprædantur, mutilant, interficiunt, rebusve, & bonis suis spoliant, & neque receptatores eorundem, & eis auxilium scienter dantes, vel fauorem.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui Christianorum quoruncunque nauibus tempestate in transuersum (vt dici solet) iactatis, naufragium passis, aut etiam submersis, siue in ipsis nauibus, siue eis delapsa, & in mari, vel litore innèta cuiuscunque generis bona, tam in nostris Tyrreni, & Adriatici, quam in quibuscunque alijs cuiuscunque maris regionibus, & litoribus rapuerint, aut scienter ipsi sibi acceperint, aut ab alijs rapta, seu accepta scienter receperint, ita vt nec etiam ob quodcunque priuilegium, consuetudinem, aut longissimi etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcunque prætextum excusari possint.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes qui in Terris suis noua pedagia, seu gabellas ad id potestatem non habentes imponunt, vel augent, aut imponi, vel augeri prohibita exigunt.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios literarum Apostolicarum, & in forma Breuis, ac supplicationum gratiam, vel iustitiam concernentium, per Rom. Pont. vel S.R.E. Vice cancellarium, seu Gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Rom. Pont. signatarum, aut sub nomine eiusdem Rom. Pont. seu Vicecancell. aut gerentium vices prædictorum, signantes supplicationes easdem, ac etiam falsò fabricantes literas Apostolicas, & in forma breuis, ac supplicationes huiusmodi, Extendentes constitutionem fel. rec Innocentij Papæ III. quæ incipit. Ad falsariorum, cum omnibus pœnis in ea contentis, ad eosdem fabricantes, & etiam ad falsificantes, seu mutantes supplicationes per nos, seu de mandato nostro signatas, & datas, sine nostra, aut Datarij nostri licentia.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipso canape, quam ex quacunque alia materia, & ipsam materiam, aliaque huiusmodi, quibus Christianos impugnant, deferunt Saracenis, Turcis, & alijs Christi nominis inimicis: Necnon illos qui per se, vel alium, seu alios de rebus Christianæ Reip. statum concernentibus, in Christianorum perniciem, & damnum ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant: Non obstantibus quibuscunque priuilegijs, & concessionibus quibuscunque Principibus, & Dominijs, siue priuatis personis per nos, & Sedem prædictam hætenus concessis, quæ illis nolumus in aliquo suffragari.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Impedientes; siue inuaden-



tes eos, qui victualia, seu alia ad vsum Romanæ Curiaë necessaria adducunt, ac etiã eos qui nẽ ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, impediunt, seu perturbant, vel pro eis aliquid exigunt, aut soluere faciunt, seu hæc facientes defendunt, per se, vel alium, seu alios cuiuscunq; fuerint ordinis, præminentiaë, conditionis, & status, ac etiam si Pontificali, vel Regali, aut alia quauis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes ex proposito interficientes, mutilantes, vulnerantes, derinentes, capientes, seu depradantes Romipetas, seu Peregrinos ad Urbem causa deuotionis, seu peregrinationis, & prorsus omnes alios ad Sedem Apostolicam accedentes, vel apud eam morantes, aut recedentes ab ipsa, & illis dantes auxilium, consilium, vel fauorem.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui non habentes in eadem Curia iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, eius prætextu capiunt, spoliant, detinent morantes in eadem, vel qui talia fieri mandant.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, verberantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisq; Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eosdem eijcientes à suis diocæsis, territorijs, Terris, seu Dominijs, eaq; mandantes, vel rata habentes, seu præstantes eis auxilium, consilium, vel fauorem.

Item excommunicamus, & anathematizamus illos, qui per se, vel alium, seu alios quoscunq; personas Ecclesiasticas, vel sæculares ad dictã Curiam super eorũ causis, & negotijs recurrentes, illasq; in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumq; gestores, Aduocatos, Procuratores, & agẽtes ipsorũ, seu etiã Auditores, vel Iudices, super dictis causis, vel negotijs deputatos, occasione causarũ, vel negotiorũ huiusmodi verberant, mutilant, occidunt, bonis spoliant, seu qui per se, vel alium, seu alios directè, vel indirectè prædicta exequi, vel procurare, aut in eisdem consilium, auxilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunq; præminentiaë, & dignitatis fuerint. Ac etiam omnes, tam Ecclesiasticos, quã sæculares, cuiuscunq; dignitatis, qui prætexentes friuolam quandam appellationẽ à grauamine, vel futura executione literarũ Apostolicarum, & in forma breuis, tam gratiam quã iustitiã concernentiũ necnon citationum, inhibitionum, sequestrorũ, monitoriorum, processuum, executorialium, & aliorum decretorum à nobis, & à Sede prædicta, seu Legatis, Nuncijs, Præsidentibus, Cam. Apost. Auditoribus, Commissarijs, alijsq; Iudicibus, & delegatis Apostolicis emanatorũ, & quæ pro tempore emanauerint, aut alias ad Curias sæculares, & laicam potestatem recurrunt, & ab ea, instante etiam Fiscis procuratore, appellationes huiusmodi admittere, ac literas, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt.

Quiue illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, consensu, vel examine executioni demandari, aut nẽ tabelliones, & Notarij super huiusmodi literarum, & processuum executione instrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cuius interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent: ac etiam partes, seu earum agentes, Notarios, executores, & subexecutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Ciuitatibus, locis, & Regnis eijciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur, per se, vel alium, seu alios publicè, vel occultè, seu capi, carcerari, detineri, percuti, vulnerari, minisq; agitari faciunt. Quiue alias quibuscunq; personis in genere, vel in specie, nẽ pro quibusuis eorum negotijs prosequendis, seu gratijs, vel literis impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel literas à dicta Sede impetrent, seu impetratis vtantur, directè, vel indirectè prohibere, statuere, seu mandare, vel eos apud se, aut Notarios, seu tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præsumunt.

Item



Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos Cancellarios, Vicecancellarios, & Consiliarios ordinarios, & extraordinarios quorumcunq; Regum, & Principum, ac Præsidentes Cancelliarum, Consiliorum, & Parliamentorum: necnon Procuratores generales eorundem, vel aliorum Principum sæcularium, etiam si Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunq; præfulgeant dignitate, quocunq; nomine nuncupentur: aliosq; Iudices, tam ordinarios, quam delegatos, necnon Archiepiscopos, Abbates, Commendatarios, Vicarios, & officiales, qui per se, vel alium, seu alios auctoritate propria, & de facto, quarumcunq; exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apostolicarum prætextu beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas ab Auditoribus, & Commissarijs nostris, alijsq; Iudicibus Ecclesiasticis auocant, illarum cursum, & audientiam, ac personas, capitula, Conuentus, Collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam Iudices interponunt, quosq; partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt ad reuocandum, & reuocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, a censuris, & pœnis in illis contentis absolui per statutum, vel alias compellunt, vel executionem literarum Apostolicarum, seu executorialium, processuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel suum ad id fauorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ, & præbendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad nos informandos (vt dicunt) supplicauerint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes huiusmodi coram nobis, & Sede Apostolica legitime prosequantur.

Quiue ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcunq; personas Ecclesiasticas, Capitula, Conuentus, & Collegia Ecclesiarum quarumcunq; coram se ad suum Tribunal, audientiam, Cancellariam, Consilium, vel parlamentum præter iuris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directe, vel indirecte, quouis quæsito colore: Necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quouis alia decreta in genere, vel in specie, ex quouis causa, & quouis quæsito colore, ac etiã prætextu literarum Apostolicarum vsu non receptorum, seu reuocatarum, vel cuiusuis consuetudinis, aut privilegia, vel alias quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quouis modo restringitur, seu nostris, & dictæ Sedis, ac quorumcunq; Ecclesiarum iuribus quomodolibet directe, vel indirecte, tacite, vel expresse præiudicaret.

Necnon qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosq; Superiores, vel inferiores Prælatos, & omnes alios quoscunq; Iudices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet impediunt, quod minus sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscunq; vtantur, secundum quod Canones, & sacre constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuunt. Ac etiam eos, qui post ipsorum ordinariorum, vel etiam delegatorum quorumcunq; sententias, & decreta, aut alias fori Ecclesiastici iudicium eludentes, ad Cancellarias, & alias curias sæculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia ordinariorum, aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant; Eos quoque qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & fauorem in eisdem.

Quiue iurisdictiones, seu fructus, redditus, & proventus, ad nos, & sedem Apostolicam, & quascunq; Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes vsurpant, vel etiam quouis occasione, vel causa, sine Roman. Pontif. vel eorum, ad quos iure pertinent, expressa licentia sequestrant.

Quiue collectas, decimas, taleas, præstantias, & alia onera Clericis, Prælati, & alijs personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum



beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & prouentibus huiusmodi absque simili Roman. Pont. speciali, & expressa licentia imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt: Necnon qui per se, vel alium, seu alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem, aut votum, seu suffragium palàm, vel occultè præstare non verentur, cuiuscunque sint præminentia, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiam si Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, Respublicæ, & alij Potentatus quicumque, etiam Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, & Terris quouomodo præsidentes, aut quauis etiam Pontificali dignitate insigniti: Innouantes decreta super his per sacros Canones, tam in Lateranen. nouissimè celebrato, quam alijs Concilijs generalibus edita, etiam cum censuris, & penis in eis contentis.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscumque Magistratus, Senatores, Præsidentes, Auditores, & alios Iudices quocunque nomine vocentur, ac Cancellarios, Vicecancellarios, Notarios, Scribas, ac executores, & subexecutores, & alios quouomodo se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas banniendo, capiendo, processando, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, etiam prætextu quorumcunque priuilegiorum à Sede Apostolica ex quibusuis causis, ac sub quibuscunque tenoribus, & formis, in genere, & specie concessorum quibuscunque Regibus, Ducibus, Principibus, Rebus publicis, Monarchis, Ciuitatibus, & alijs quibuscunque potentatibus, quocunque nomine censeantur, quæ nolumus illis in aliquo suffragari, illa omnia ex nunc in irritum reuocando.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel alium, seu alios, directè, vel indirectè sub quocunque titulo, vel colore de facto occupant, vel detinent, vel hostiliter destruunt, vel inuadunt, aut occupare, detinere, vel destruere, aut inuadere hostiliter præsumpserint in totum, vel in partem Almam Urbem, Regnum Sicilia, Insulas Sardinia, & Corsica, Terras citra Pharum, Patrimonium B. Petri in Tuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venusinum, Sabina, Marchia Anconitana, Massa Trebaria, Romandiolæ, Campania, & maritimas Prouincias illarumque Terras, & loca, ac Terras specialis commissionis Arnulphorum, Ciuitateque nostras Bonnoniam, Casenam, Ariminum Beneuentum, Perusum, Auinionem, Ciuitatem Castelli, Tudertum, & alias Ciuitates, Terras, & loca, vel iura ad ipsam Rom. Ecclesiam pertinentia, dictaque R. E. mediata, vel immediata subiecta: quive supremam iurisdictionem in illis nobis, & eidem R. E. competentem de facto usurpare, perturbare, retinere, & vexare varijs modis præsumunt: Necnon adherentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstantes.

Necnon omnes, & singulos suppellectilium, librorum, scripturarum, & bonorum Camera, & Palatij Apostolici ex eodem palatio, infirmitatis Rom. Pont. ac Sedis Apostolicæ vacationis tempore, ablatores, raptores, & illorum detentores, ac quoscumque alios, ad quorum manus bona prædicta quocunque titulo, & ex quauis causa scienter peruenerint.

Volentes præsentibus nostris progressus, ac omnia, & quæcunque his literis contenta, quousque alij huiusmodi processus à nobis, aut Rom. Pont. pro tempore existant, aut publicentur durare, suosque effectus omnino sortiri.

Ceterum à prædictis sententijs nullus per alium, quam per Roman. Pont. nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Eccl. mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, absolui possit, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum quibuscunque personis Ecclesiasticis, secularibus, & quorumuis ordinum, etiam Mendicantium, & Militiarum regularibus, etiam Episcopali, vel alia



maiori dignitate præditis, ipsisque ordinibus, & eorum Monasterijs, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegijs, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis pijs, necnon laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus per nos, & dictam Sedem, ac cuiusvis Concilij decreta, verbo, literis, aut alia quacunq[ue] scriptura in genere, & in specie concessorum, & innouatorum ac concedendorum, & innouandorum.

Quod si fortè aliqui contra tenorem presentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumperint, eos excommunicationis sententia innodamus, grauius contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire nouerimus, processuri.

Declarantes, ac protestantes quacunq[ue] absolutionem, etiam solenniter per nos faciendam, prædictos excommunicatos sub presentibus compræhensos, nisi prius à præmissis, cum vero proposito vltierius similia non committendi, destiterint; Ac quò ad eos, qui contra libertatem, vt præmittitur, statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta huiusmodi publicè reuocauerint, & ex Archiuis seu Capitularibus, locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & cassari, ac nos de reuocatione huiusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari. Quin etiam per huiusmodi absolutionem, aut quoscunq[ue] alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram, vel successorum nostrorum quancunq[ue] tempore continuata, in præmissis omnibus, & singulis, ac quibuscunq[ue] iuribus Sedis Apostolicæ, ac S. R. E. vndecunq[ue] & quomòdocunq[ue] quæsitis, vel quærendis nullatenus præiudicari posse, seu debere.

Non obstantibus priuilegijs, indulgentijs, & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus, supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus, & alijs cuiuscunq[ue] ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præminentie fuerint, etiam si vt præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quauis Ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, seu locis, à prædicta Sede ex quauis causa etiam per viam contractus, aut remunerationis, & sub quauis alia forma, & tenore, ac cum quibusuis clausulis etiam derogatorijs derogatorijs concessis, etiam continentibus, quòd excommunicari, anathematizari, vel interdicti non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi ac de ordinibus, locis, nominibus proprijs, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem; Necnon consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quancunq[ue] longissimis, & alijs quibuslibet obseruantijs scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus, ac sententias, quo minus includantur in eis, se iuuare valeant, vel tueri: quæ omnia quo ad hoc, earum omnium tenores, ac si ad verbum nihil penitus omisso infererentur presentibus, pro expressis habentes, penitus tollimus, & omnino reuocamus, ceterisque contrarijs quibuscunq[ue].

Vt verò præsentis nostri processus ad comunè omnium notitiam facilius deducantur chartas, seu membranas processus ipsos continentes valis Ecclesiæ S. Ioannis Lateranen. & Basilicæ Principis Apostolorum de vrbe appendi fecimus, quæ processus ipsos quasi sonoro præconio, & patulo iudicio publicabunt, vt ii, quos processus huiusmodi contingunt, quod ad ipsos non peruenierit, aut quod ipsos ignorauerint, nullam possint excusationem prætere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Insuper, vt processus ipsi, ac præsentis literæ, ac omnia, & singula in eis contenta eo fiant notiora, quo in plerisque ciuitatibus, & locis fuerint publicata vniuersis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinarijs, Prælati, & Rectoribus vbilibet constitutis per hæc scripta committimus, & in virtute S. obedientie districte præcipiendo mandamus, vt per se vel alium seu alios



præsentem literas, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesijs suis, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, solenniter publicent, & ad Christifidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

Cæterum hortamur eosdem vniuersos, & singulos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, aliosq; locorum ordinarios, & Ecclesiarum Prælatos, necnon Rectores, cæterosq; curam animarum exercetes, ac presbyteros seculares, & quorumuis ordinum regulares ad audiendum confessiones quauis auctoritate deputatos, vt transumptum harum literarum penes se habere, legere, & diligenter examinare procurent.

Volentes earundem præsentium transumptis, etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, & sigillo Iudicis ordinarij Rom. Curia, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in iudicio, & extra illud vbiq; locorum adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, declarationis, protestationis, sublationis, reuocationis, commissionis, innodationis, mandati, hortationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignatione omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1584. Septimo Kal. Aprilis, Pontificatus nostri, Anno Duodecimo.

Cæ. Glorierius.

M. Card. S. Stephani.

A. de Alexijs.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

**BVLLA S. D. N. PII PP. V. PROHIBITIO. BLASPHEMIÆ, Sodomia, Simonia, Concubinitus, ac contra deambulantes, per Ecclesias, pauperes per eas mendicantes, ac alios in eis illicita facien. necnon de tollendis ex eis capsis, & depositis mortuorum, de non laborando in diebus Festiuis, ac circa plurima alia Dei honorem, & diuinum cultum concernen.**

Pius Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

**C**VM primum Apostolatus officium diuina nobis dispositione commissum suscepimus, statim omnem curam, & cogitationem nostram in dominici gregis fidei nostræ crediti salute defiximus, & Christifideles Deo iuuante ita dirigere statuimus, vt à vitijs, & peccatis abstinentes, iter, quod ad vitam æternam ducit, insistant. Cum autem ad omnia, quæ diuinam maiestatem aliquo modo possent offendere, amouenda mentis nostræ aciem intenderimus, ea primum, & sine mora emendare decreuimus, quæ Deo præter cætera displicere, & iram eius prouocare cum diuinæ docent scripturæ, tum grauissima exempla declarant, nempe diuini cultus neglectum, Simonia labem, Blasphemie crimen, & libidinis naturæ contrarie vitium execrandum, propter quæ populi, nationes, bellorum, famis, & pestilentie calamitatibus iusta Dei ultione sepe plectuntur. Et si autem contra eos, qui tam graua crimina admiserint; multa prædecessoribus nostris constitutiones editæ fuerunt; tamen quia parum est leges edere, nisi sint, qui eas debitis temporibus exequantur. Idcirco nè qui forsan ex tolerantia sperare impunitatem audeant, scientes plerosq; poenarum grauitate magis, quam Dei timore arceri solere à voluntate peccandi omnes, & singulas, sententias, censuras; & poenas contra eos, qui talia deliquerint, latas confirmamus, & Apostolica auctoritate innouamus, nec de earum rigore quicquam relaxamus, admonemusque eos, qui talia perpetrare veriti non fuerint, non solum subdituros eas poenas, quæ sacris sunt Canonibus constitutæ, sed eas etiam,

quas



quas leges ciuiles comminantur, & nostri quoque arbitrij discretio pro personarū  
 qualitate constituet, Mandantes ciuitatum, & locorum status nostri Ecclesiastici  
 pro tempore Ordinariis, & Gubernatoribus, illis quidem sub pœna suspensionis à  
 diuinis. his uero sub pœna excommunicationis latę sententię, ut quos debitum Deo  
 cultum in Ecclesiis non tribuere, aliisq̄ nefandis criminibus pollutos esse compe-  
 rerint, compræhendi curent pœnis afficiendos competentibus. Scituris etiam ipsis  
 Iudicibus, quod si post hanc nostram constitutionem in castigandis huiusmodi deli-  
 ctis negligentes fuerint, Primum quidem Dei omnipotentis iudicio obnoxii erunt,  
 deinde nostram quoque incurrent indignationem. Ut autem pœnarum certitudo cun-  
 ctis facilius innotescat, nonnullas hic diximus exprimendas, aliis nihilominus con-  
 tra huiusmodi criminum reos à iure statutis in suo robore manentibus. Ut igitur  
 Deo optimo maximo, gloriosę Virgini, & sanctis omnibus debitus honor deferatur,  
 Gregorii X. prædecessoris nostri constitutionem innouantes: ac statuta in Tridenti-  
 no Connilio obseruari volentes; statuimus, & ordinamus, ut ad Ecclesias sit humi-  
 lis, & deuotus ingressus: quieta conuersatio, deuotis orationibus insistant, & omnes  
 genibus flexis sanctissimum Sacramentum adorent ad nomen Iesu Christi Domini  
 Nostri cum exhibitione reuerentię caput inclinent, nullus in dictis Ecclesiis sedi-  
 ditionem faciat: tumultum excitet; clamores moueat, impetum ue committat, cessent  
 uana, fœda, & profana colloquia: risus immoderati, & strepitus omnes iudiciorum,  
 & alia, quęcunque diuinum officium perturbare possunt. Nullus intra Ecclesias de-  
 ambulare audeat, siue præsumat, dum celebrantur sacra Missarum mysteria, & alia di-  
 uina officia. Qui uero prædicta petulanti animo contempserint, præter diuinę ultio-  
 nis acrimoniam, nostri quoque arbitrij pœnas incurrent: quę omnia locorum quo-  
 que ordinarij in suis Ecclesijs facient obseruari. Quicumque uero in Ecclesijs, dum  
 ibi sacrificium Missę, & diuina celebrantur officia, aut uerbum Dei prædicatur, de-  
 ambulare, uociferari, aut uerso tergo ad sanctissimum Sacramentum irreuerenter se-  
 dere, aut aliquid quod scandalum generet, aut diuina perturbet officia, facere præ-  
 sumperit: pœnam uiginti quinque ducatorum incurret, præter alias arbitrio nostro  
 imponendas, & moderandas pœnas: & qui non habebit in ære, luet in corpore, aut e-  
 xilio multabitur. Qui uero in Ecclesijs cum mulieribus impudicis, siue etiam hone-  
 stis colloquium scurrile habuerit, aut alios in honestos actus fecerit, uiginti quin-  
 que ducatorum pœnam incurrat, & carceris per mensem. Qui in Ecclesijs, ut supra  
 obfcœnis, & inhonestis uerbis, aut signis usus fuerit, aut alijs fœda colloquia cum  
 personis quibuscunque habuerit, decem aureorum pœna multetur, aut alijs corpo-  
 raliter puniatur. Mandamus præterea omnibus, & singulis Cathedralium, Colle-  
 giatarum, & Parochialium Ecclesiarum Capitulis, Rectoribus, Vicarijs, Sacristis,  
 Ostiarijs, ac alijs ipsarum Custodibus, quatenus præfatos omnes in Ecclesijs delin-  
 quentes admonent, & ut in eis uetita fieri non permittant, uel saltem ipsis Ordina-  
 rijs, uel Officialibus nostris puniendos deferant, quod si facere neglexerint, pœnam  
 duorum aureorum uice qualibet incurrent. Pauperes quoque mendicantes, seu  
 elemosynas petentes per Ecclesias tempore Missarum, prædicationum, aliorum-  
 que diuinorum officiorum ire non sinant: sed eos ad ualvas Ecclesiarum stare fa-  
 ciant, sub pœna duorum aureorum Capitulis infligenda pro qualibet uice, nisi eos  
 eiici curauerint, & Parochis dimidii aurei. Religiosis etiam Claustralibus, siue re-  
 gularibus præcipimus in uirtute sanctę obedientię, ut in Ecclesijs suis deputent  
 aliquem, qui tales eiiciat, & si negligentes fuerint, grauissimè ab Ordinario cor-  
 ripiantur, quod si illi parere recusauerint, grauissimas pœnas incurrent, & pro qua-  
 litate personarum etiam corporaliter punientur arbitrio nostro, siue Superiorum  
 suorum. Et ut in Ecclesijs nihil indecens relinquatur, iidem prouideant, ut caplę  
 omnes, & deposita, seu alia cadauerum conditoria super terram existentia omnino  
 amoueantur, prout alijs statutum fuit, & defunctorum corpora in tumbis profun-  
 dis infra terram collocentur. Cum uero dierum festorum obseruatio ad Dei cul-



tum maximè pertineat, & in lege diuina præcipiatur, Cupientes abusus prauos, qui ex eorum in- obseruantia inualuerunt, omnino corrigere, & antiquorum Canonum statuta renouantes, mandamus, vt omnes dies Dominici, & præcipuè in honorem Dei, beatæ Mariæ Virginis, sanctorum Apostolorum feriatum cum omni ueneratione obseruentur, & omnes in diebus præfatis Ecclesias frequentent, diuinis officijs deuotè intendant, ab omni illicito, & seruili opere abstineant, Mercatus non fiant, profanæ uegociationes, & iudiciorum strepitus conquiescant. Qui uerò in diebus præfatis opus aliquod illicitum fecisse depræhensus fuerit, præter diuinam ultionem, & amissionem animalium, quibus ad uecturam utetur, etiam graues poenas incurret arbitrio nostro, seu Vicarii nostri in vrbe. In alijs autem locis arbitrio ordinariorum, uel aliorum Magistratum, ita ut præuentioni locus sit. Quibus omnibus districtè præcipimus, vt hæc diligenter obseruati procurent, illas etiam festiuitates, quæ iuxta consuetudinem locorum sollemniter celebrari consueuerint; iuxta laudabilem consuetudinem debita cum reuerentia obseruari faciant sub poenis arbitrio ipsorum imponendis, & moderandis Et ut simoniacæ prauitatis labes prorsus aboleatur. Constitutiones antecessorum nostrorum contra Simoniacos editas, & præsertim Pauli II. inuiolabiliter obseruari mandamus, & delinquentes tam in sacrorum ordinum receptione, quam in beneficiorum affectuione, statutis etiam inferioribus poenis nostra auctoritate affici volumus. Quicumque igitur detestabile crimen Simoniacæ prauitatis commisisse conuictus fuerit in consequendis ordinibus, eo ipso sit ab illorum executione per decennium sine spe dispensationis suspensus, & per annum carceribus mancipetur. Qui dignitates Ecclesiasticas Simoniacè acquisuerit, illis sit ipso iure priuatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quascunque alias obtinendas. Qui beneficium, aut officium Ecclesiasticum Simoniacè adeptus fuerit, illis similiter sit ipso iure priuatus, & ad fructuum omnium, quos perceperit, restitutionem teneatur, & perpetuò sit inhabilis, ad ea, & quæcunque alia beneficia Ecclesiastica obtinenda. Si quis autem tale crimen pluries commisisse conuictus fuerit, præter supradictas poenas etiam corporaliter puniatur, & ab ordinibus Ecclesiasticis degradatus à fidelium confortio eiiciatur. Qui uerò ordines, & beneficia Simoniacè contulerint, poenis à iure statutis puniantur, cuiuscunque gradus, conditionis, & dignitatis, etiam si Episcopi, Archiepiscopi, uel maiores fuerint. Cauèat præterea quicumque nè in Sacramentorum exhibitione Simoniacum aliquid faciant. Alioquin grauissimè puniantur per locorum ordinariorum, qui huiusmodi criminis reos cum maxima seueritate coercere procurent, iuxta Concilij Tridentini statuta. Ad abolendum uerò nefarium, & execrabile blasphemie scelus, quod in antiqua lege Deus morte puniri mandat, & Imperialibus quoque legibus receptum est, nunc autem propter nimiam Iudicum in puniendo segniciem, uel potius desuetudinem, supra modum inualuit, Leonis prædecessoris nostri in nouissimo Lateranensi Concilio statuta inuouantes Decernimus, vt quicumque laicus Deum & Dominum nostrum Iesum Christum, & gloriosam Virg. Mariam eius genitricem expressè blasphemauerit, pro prima uice poenam 25. ducatorum incurrat, pro secunda poena duplicabitur, pro tertia, autem centum ducatos soluet, & ignominia notatus, exilio multabitur. Qui uerò plebeus fuerit, nec erit soluendo, pro prima uice manibus post tergum ligatis ante fores Ecclesie constituetur per diem integrum, pro secunda fustigabitur per Urbem pro tertia lingua ei perforabitur, & mittetur ad triremes. Quicumque clericus in hoc blasphemie crimen incurrit, pro prima uice fructibus unius anni omnium, & quorumcunque beneficiorum suorum, pro secunda, beneficijs ipsis priuetur, pro tertia omnibus etiam dignitatibus exutus deponatur, & in exilium mittatur. Quòd si clericus nullum obtinuerit beneficium, poena pecuniaria, uel corporali pro prima uice puniatur, pro secunda carceribus mancipetur, pro tertia uerbaliter degradetur, & ad triremes mittatur. Qui reliquos Sanctos blasphemauerit, pro qualitate blasphemie, atque personæ, arbitrio Iudicis puniatur. Si quis crimen nefandum

contra



contra naturam, propter quod ira Dei venit in filios diffidentia, perpetraverit, Curia seculari puniendus tradatur. Et si clericus fuerit, omnibus ordinibus degradatus simili pena subiciatur, Monemus praeterea omnes locorum ordinarios, & in virtute S. obedientiae eis praecipimus, vt statuta Tridentini Concilij contra Concubinariorum tam Clericos, quam laicos edita, districtae faciant obseruari, reddituri Deo, ac nobis, si id omiserint, rationem. Et vt praemissorum delictorum Simoniae blasphemiae, ac stupri nefandi notitia facilius habeatur. Volumus, quod in singulis casibus, non solum per accusationem, & inquisitionem, sed etiam ad simplicem, & secretam denunciationem procedatur per quoscunque iudices, alias tamen de iure competentes, tam ratione delecti, quam personarum, ita quod inter eos locus sit praeventioni. Monemus praeterea omnes, & singulos, vt solum Dei timorem pra oculis habentes, & non alia animi prava affectione ducti, culpabiles tantum deferant, innocentes non vexent. Quod si aliqui ex calumnia aliquos denunciaffe comperti fuerint, eos ad poenam Talionis teneri volumus, & mandamus: Multae autem pecuniariae applicabuntur pro duabus partibus locis piis arbitrio nostro in Vrbe, extra vero, Ordinariorum, pro tertiae accusatori, qui delinquentes detulerit. Mandamus autem Principibus, Comitibus, & Baronibus omnibus S. R. E. Feudatariis, sub poena priuationis feudorum, quae ab ipsa Ecclesia Rom. obtinent, reliquos vero Principes Christianos, & terrarum Dominos hortamur in domino, & in virtute S. obedient. mandamus, vt pro diuini nominis reuerentia, & honore praemissa omnia in suis dominiis, ac terris exactissime seruari faciant: vberimam ab ipso Deo mercedem tam boni operis recepturi. Non obstantibus quibusuis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis ac exemptionibus, privilegiis, indultis, facultatibus, & literis Apost. quibusuis Capitulis, conuentibus, Militiis, ordinibus, & personis cuiuscunque qualitatis, & conditionis existentibus, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriis derogatoriis aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie etiam Motu proprio alias quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, specialiter, & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod praesentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius Praelati munitis, eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhibetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae innouationis, relaxationis, admonitionis, confirmationis, mandati statuti, decreti, ordinationis, praecipiti, monitionis, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contrahere. Siquis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apost. eius se noverit incursum Dat. Romae apud S. Petrum, anno Incarnat. Dominice 1566. Kal. April. Pontificatus nostri anno primo.

Antonius Florellus Lauellinus.

H. Cumyn.

CONSTITVTIO DE ABBATISSIS, ET ALIIS MONASTERIORUM Monialium Praefectis, non ultra triennium per vniuersam Italiam in futurum eligendis.

Gregorius Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

**E**Xpofcit debitum pastoralis officii, quod disponente Domino gerimus, vt ad ea sollicitè intendamus, per quae Monasteria, & alia religiosa loca, praesertim Deo dicatarum Sanctimonialium, secundum regularis disciplinae normam regantur, & gubernentur, Perpendentes igitur varia, & multiplicia damna, quibus

Ccc 4 pierumque



plerumque afficiuntur Monasteria Monialium, quæ per Abbatissas, vel alias præfectas perpetuas reguntur, è contra verò Abbatissas, & alias præfectas triennales scientes se lapso triennio suæ administrationis rationem esse reddituras, ac sperantes de bene gestis laudem promereri, penam verò, si male gesserint, metuentes, maiori studio, ac diligentia regimen, & administrationem Monasteriorum sibi commissorum gerere. His & aliis rationabilibus causis adducti, hac nostra perpetuò valitura constitutione statuimus, & ordinamus, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus in omnibus, & singulis Monasteriis Monialium S. Benedicti, Cisterciensium, Carthusien. & aliorum quorumcunque ordinum in vniuersa Italia, & præsertim in vtriusque Siciliæ Regnis consistentibus, quæ nunc per Abbatissas, vel alias Præfectas perpetuas reguntur, & gubernantur, cum primò Abbatissæ, aut aliæ perfectæ huiusmodi regimini, & administrationi ipsorum Monasteriorum cesserint, etiam apud Sedem Apostolicam, vel decesserint, eorum Abbatissatus, seu præfecturas vacare contigerit, Abbatissæ, aut aliæ perfectæ non amplius perpetuæ, seu ad vitam (quarum nomen, ac titulum, ex nunc prout ex tunc Apostolica auctoritate ex certa nostra scientia, de quæ Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium perpetuò extinguimus, & abolemus) sed triennales tantum à Còuentu vniuscuiusque Monasterii, & aliis iuxta decreta Sacri Còc. Trid. & regularia suorum ordinum instituta eligantur, & præficiantur, quæ postmodum elapso triennio, suis officiis perfunctæ, præesse desinant, omni quæ prorsus careat auctoritate, ac à regimine, & administratione Monasterii per triennium à die finitæ administrationis inchoandum abstineat, quo elapso, seruata eadem forma Conc. Trid. iterum, & pluries eligi possint. Districtius inhiabentes omnibus, & singulis dictorum Monasteriorum Conuentibus Superioribus, & personis, ne aliquam Abbatissam, aut aliam præfectam perpetuam, seu ad vitam, sed triennalem tantum eligere, & præficere villo modo audeant, vel præsumant. Quod si secus à quoquam quauis auctoritate fuerit attentatum, Electionem, & Præfectionem huiusmodi, ac omnia, & singula, quæ inde sequentur, irrita, nulla, & inania, nullius quæ roboris, vel momenti fore: Sic quæ per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuiuslibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, in quauis causa, & instantia iudicari, & diffiniri debere decernimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictorum Monasteriorum, & ordinum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Monasteriis eorum quæ Superioribus, & personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis, Quibus omnibus, & singulis eorum tenores, ac si ad verbum infererentur presentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanens, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Cæterum quia difficile foret presentes nostras ad singula quæque loca, vbi necessarium fuerit deferre, volumus, quòd illarum transumptis manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ indignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ presentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostense. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die prima Ianu. M. D. L. XXIII. Pontificatus Nostri Anno Vndecimo.

Ca. Glorierius.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, in die vndecima, die verò quarta Mensis Ianuarii Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Domini Gregorii diuina prouidentia Papæ Decimitertii Anno vndecimo, retranscriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in acie campi Floræ: dimissa eorum

copiâ



copiā auctantata, & collationata cum dictis literis in valuis eiusdem aciei affixæ  
per me Iohannem Freile, curf S. D. N. Papæ.

Pettus Delbequez Magister Curs.

S. D. N. D. GREGORII PAPÆ XIII. CONSTITVTIO, DE  
eleemofynis Monialibus præstandis.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei  
memoriam.

**D**EO sacris Virginitibus, quæ contemptis illecebris sæculi, diuinis se obsequiis manciparunt, æquissimum est præcipua quadam à nobis ac singulari sollicitudine prouideri, tum vt ab eis omnia, quæ sanctum ipsarum propositum impedire possent remoueantur, tum etiam vt eis in cultu Dei castè ac religiose permanentibus, quæ ad victum necessaria sunt, subministrantur. Et quidem post sacri Concilii Tridentini decretum, quod constitutio sæc. rec. Bonifacii Papæ VIII prædecessoris nostri, quæ incipit, Periculoso, renouatur, prohibens ne aut ipsi monialibus ex monasteriis suis egredi, aut vlli cuiuscumque sexus, aut ordinis personæ ad eas ingredi liceat, Et præterea vniuersis Episcopis præcipitur, vt in omnibus monasteriis sibi subiectis, in aliis verò sedis Apostolicæ auctoritate clausuram sanctimonialium, vbi violata, diligenter restitui, vbi verò inuiolata, conseruari maximè procurent. Piæ memoriæ Pius Papa V. etiam prædecessor noster victui quoque, & necessitatibus ipsarum prospicere cupiens, cum superiora illa approbasset, atque innouasset, eademque omnia etiam in monialibus quarumcunque. Militiarum etiam Hierosolymitanæ, omnibusque aliis tacitè, vel expressè religionem professis, quocumque nomine censeruntur, locum habere decreuisset: nè illæ quicquam detrimenti in necessitatibus suis hac occasione paterentur, etiam præcepit locorum ordinariis, & superioribus earum, vt fidelium eleemofynas per conuersas non professas, vel professas quidem, sed ætatis saltem quadraginta annorum, & iam pridem conuersas, quæ in domibus contiguis, extra tamen monasterium degerent, colligendas curarent; ita tamen, vt prædictæ Conuersæ neque clausuram aliarum monialium, nisi in casibus permisis, ingrederentur, nec ex illis ipsis habitationibus suis ad tales eleemofynas colligendas, sine permisso ordinariorum, aut superiorum suorum exire possent. Quod si ne hoc quidem sufficere videretur, idem Pius prædecessor mandauit ipsis ordinariis, & superioribus, vt negotium darent aliquibus personis piis tales eleemofynas colligendi, aliaque arbitrato suo prospicerent, quæ ad subleuandam monialium inopiam expedire iudicaret. Cum autem, sicut accepimus, multæ moniales, etiam quæ Tertiariæ vocantur, sub solenni religionis voto, perpetuaque clausura degentes, aliæque talibus literis comprehensæ & in ipsa clausura permanentes multis præterea ad se sustentandas necessariis egeant, neque usque ad hoc tempus vlllo sufficienti remedio earum necessitatibus subuentum sit; quin etiam aliæ Tertiariæ citra vllum solenne hucusque votum viuant, quæ ad suas suorumve domus nequiquam reditura essent, sed sub solenni religionis voto, & clausura prædictis permanerent, si earum congruæ sustentationi prouideretur. Nos qui illas necessariis rebus distitui nolumus, certioresque facti sumus in multis ciuitatibus, oppidis, villis, aut aliis locis tam in Ecclesiis, & Monasteriis, quam Hospitiis, Collegiis, Confraternitatibus, & aliis locis piis, etiam quæ à priuatis hominibus, tum Ecclesiasticis, tum Laicis multas ac diuersas eleemofynas Christi pauperibus erogari, Considerantes in huiusmodi personas, vel in primis exercendam esse charitatem, quæ voluntaria paupertate suscepta ab omni hominum commercio segregata, Deo seruiunt, & assiduis precibus iram ipsius, ob peccata conceptam, à Christiano populo deprecantur. Illud quoque cogitantes, si eis ad tales eleemofy-



nas petendas ad loca prædicta conferre se liceret, vix fore, vt prædicta Monasteria Ecclesie, loca, ac personæ eis singulis non tantum saltem tribuerent, quantum singulis aliis pauperibus eorum concurrentibus solent. Vniuerso illi Deo deuotarum, mulierum generi de opportune, ac sufficientis subuentionis auxilio prouidere cupientes, De nobis attributz potestatis plenitudine statuimus, & ordinamus, vt omnes, & quicumq; Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, & alij Ecclesiarum Prælati, necnon Abbates, Priores, Præpositi, & alij Ecclesias Patriarchales, Primatiales, Metropolitanas, Cathedrales, & alias Ecclesias, necnon Monasteria, Prioratus, Præposituras, Canonicatus, præbendas, dignitates, personatus, administrationes, officia, ceteraque beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura sæcularia, & Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cisterciensium, Cluniacensium, Præmonstratensium, Cartusien. Camaldulensium, Sancti Blasii, Cassinensium, aliàs Sanctæ Iustine, Montis Oliueti, Sancti Saluatoris, ac Lateranen. & Cruciferorum, seu fratrum Sancti Hieronymi, necnon Prædicatorum, Minorum, Minimorum, & Carmelitarum, Eremitarum eiusdem S. Augustini, Seruorum Beatæ Mariæ, Sanctæ Claræ, & quorumcunque aliorum tam virorum quam mulierum etiam Mendicantium ordinum, & Congregationum, & Militiarum regularia, etiam de iure patronatus Laicorum, etiam nobilium, Ducum, Regum, & aliorum Principum existentia, in titulum, commendam, administrationem, & aliàs quomodocunque obtinentes, necnon Rectores, Gubernatores, Confratres, Administratores, ceteriq; omnes, qui ratione illorum, necnon Capitulorum, Conuentuum, Mensarum, Hospitalium etiam Laicorum, & per Laicos administrari solitorum, Chistifidelium, Confraternitatum, Scholarum, Collegiorum, ac aliorum piorum locorum quocumque nomine nuncupatorum, & in quibusuis mundi partibus consistentium, quæ singulis annis, mensibus, hebdomadis, vel diebus ex Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, officiorum, dignitatum, & beneficiorum, ac Congregationum, Hospitalium, Confraternitatum, Scholarum, Collegiorum piorum, & aliorum locorum præceptorum fructibus, redditibus, & prouentibus pauperibus Christi aliquas elemosynas in pane, frumento, farina, vino, edulsijs, pecunia, seu alijs ad victum, vel vestitum pertinentibus, etiam ad supplicationem, & preces, & per cedula, & bollettina, aut aliàs distribuere, & elargiri ab immemorabili tempore consueuerunt, aut alio quocumque iure tenentur, ex dictis fructibus, redditibus, & prouentibus, & quod ad Hospitalia prædicta ex ijs, quæ seruata in illis actuali Hospitalitate, supersunt, seu supererint, necnon quæcunque personæ particulares, etiam laicæ, vel vniuersitates etiam laicorum, quæ testamento, vel tima voluntate, vel alia dispositione, etiam inter viuos, aliquas tales elemosynas facere tenentur, dimidiam partem omnium, & quarumcunque elemosynarum, & largitionum huiusmodi quocumque nomine nuncupatarum, quocumque tempore, & modo distribui solitarum, etiam si speciali nota dignæ, & secundum pias defunctorum, aut aliorum voluntates sub certa forma ab his in testamento, vel alia quacunque dispositione distribuendæ sint, dummodo non in certas personas, nec ad certos vsus pios alios, quam victus, & alimenta pauperum distribuatur, quibuslibet prædictarum Monialium, etiam Tertiariam sub solenni religionis voto, & perpetua clausura de cætero viuentibus, & in terris, & locis, quorum pauperibus huiusmodi elemosynæ distribuunt, consistentibus verè, realiter & cum effectu, & absque vlla elemosynarum, & largitionum huiusmodi petitione, exactione, & conquisitione, aut alia desuper à nobis expectata iussione, aut mentis nostræ declaratione, ac quibusuis mora, subterfugio, ac exceptione, cessantibus, & eiectis, dare atque distribuere omnino teneantur, & quam dimidiam partem nos illis applicamus. Vt autem præmissa omnia cum charitate, & pietate procedant, & efficaciter suum effectum sortiantur, vniuersis, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum ordinarijs per Apostolica scripta mandamus, vt quisque per se, vel alium seu alios ad præsentium executionem in suis ciuitatib. & Diocesis procedens, ab Ecclesijs, Monasterijs, Ho-

spitalibus



spitalib. Confraternitatibus, Scholis, Collegijs, locis, & Ecclesiasticis, ac laicis personis prædictis, etiam quomodolibet exemptis, dimidiū elemosynarum huiusmodi exigant, ac pro portione, vt ordinarijs ipsis loco: um equum esse videbitur, singulis pauperum monialium etiam Tertiarum Monasterijs huiusmodi suarum Ciuitatum, & Dioccesum, etiam si alijs superioribus subiecta sint, cum effectu distribuunt. Nos enim eisdem locorum ordinarijs etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegatis, ac cuiuslibet illorum tam per se, quam alium, vel alios præmissa faciendi, ac etiam contradictores quoslibet, & rebelles per penas pecuniarias eorundem ordinariorū, & cuiuslibet illorum arbitrio infligendas, & applicandas, ac in subsidium sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia quacumque appellatione postposita respectiue compescendi, auxiliūque brachij secularis inuocandi, aliaque in præmissis, & circa ea necessaria, & opportuna faciendi, gerendi, mandandi, & exequendi, plenam, & liberam facultatem, & auctoritatem concedimus, & impartimur. Insuper, quia valde rationi consonum est, vt etiam ij, qui ipsis Monialibus etiam Tertiaris indigentibus præfatis consanguinitate aliqua sunt coniuncti aliquod in præmissis subsidium cōferant, cum ratio sanguinis, & debitum charitatis & honestatis id expostulet, singulis locorum ordinarijs cōmittimus, vt omni eos officio, & diligentia monere, eisque persuadere studeant, parentes verò, & fratres ac alios, ad quos illas, si in sæculo permanissent, dotare pertinebat, vel ad quos bona & successiones deuenierunt, & qui si eas nuptui tradidissent, multò amplius, quam ingredientibus Monasterium dedissent, vel qui si eas nunc domi retinerent, vel si ad illorum domos redirent, eas alere tenerentur, quibuscunque vijs ipsis beneuolis inducant, vt Monialibus etiam Tertiaris prædictis iuxta eorum facultates charitatiue subueniant, scituri id sibi etiam ad animarum salutem plurimum profuturum. Ceterum, quod attinet ad Conuersas professas, quas prædictus Pius prædecessor per prædictas literas sub certis conditionibus ibi contentis permisit posse manere extra Monasteria pro colligendis elemosynis, eisdem locorum ordinarijs iniugimus, vt quibus Monasterijs prædictarum Monialium quotidianis laboribus computatis, supra dicta, vel alia qualibet ratione de sufficienti subuentione, & sustentatione prouisum esse cognouerint, easdem Conuersas sub eadem clausura cum alijs Monialibus reducant, neque à suis Monasterijs amplius exire permittant, Conuersas verò nõ professoras, & profiteri nolentes, dimisso habitu domum remittant; neque alias in futurum, nisi professionem suo tēpore emissuras, atque sub perpetua clausura mansuras in Monasteria huiusmodi recipi permittat. Quod autem idem Pius prædecessor statuit de cætero nullas alias conuersas professoras recipi amplius etiam de consensu suorum superiorum posse, ita esse intelligendum de claramus, præter illas Conuersas, quæ extra Monasterium in domibus contiguis degerent. Elemosynarum verò prædictarū contributionem, & applicationem durare, & valere decernimus, ac suos effectus ad plenum sortiri debere, donec numerus Monialium etiam Tertiarum huiusmodi (quem per ipsos locorum ordinarios etiam in Monasterijs ab eorum cura, & regimine quomodocumque exemptis, cū illarum superiorum interuentu stabiliri, & ordinari neque supra illum numerum alias recipi posse, etiam de consensu superiorum suorum, volumus, & mandamus) ita imminutus fuerit, vt reliquæ Moniales, & Tertiaræ ex proprijs redditibus Monasteriorum ipsorum, vel consuetis elemosynis se commodè sustentare queant; super quo eorundem ordinariorū conscientiam oneramus: ita tamen, vt decedentibus singulis ex tribus earundem Monialium partibus tertia quoque earūdem elemosynarum partis distributio, & sic succedente in totum extinguantur, atque in pristinum statum sub debitīs, aut solitis oneribus reuertantur, & remaneant. Declaramus præterea nullis Monialibus etiam Tertiaris licere habere ostium, per quod ex Monasterio introiri possit in ipsarum Monialium Ecclesiā exteriorem, in quam secularibus ad Missas, & diuina officia patere solet accessus, sed omnino muro obstruendum, neque itidem licere Monialibus etiam Tertiaris egredi



à ianua Monasterij, quæ est pro clausura ipsius Monasterij, etiam ad claudendum aliam vltiorem ianuam, qua patere solet aditus sæcularibus venientibus, vel ad rotam, vel ad crates, seu loca colloquijs destinata, quæ vulgò parlatoria vocantur, vel ad pulsandam ipsam ianuam clausuræ; quæ loca, cum saltem pro causis prædictis patere solent sæcularibus, extra clausuram censerentur, etiam quo tempore clausa sunt. Insuper quoscunque Dominos, & Magistratus temporales in Domino hortamur, monemus, & requirimus, vt ad omnem ipsorum ordinariorum, aut alicuius ipsorum petitionem, vel simplicem requisitionem illis in præmissis assistentes omnem opportunum fauorem, & auxiliū præstent, & exhibeant. Ipsi denique Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum ordinarijs præcipimus, & mandamus, vt has presentes nostras literas (quarum transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eandem vbiq; fidem in iudicio, & extra adhiberi debere volumus, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ) singuli in sua Ciuitate, & Diocesi publicent, ac publicari, easque iuxta earum continentiam, & tenorem vnâ cum prædictis ac alijs prædicti Pij V. & aliorum prædecessorum nostrorum literis, & constitutionibus, & iussionibus pro integra clausuræ instauratione, custodia, & firmitate editis inuolabiliter, obseruent, & obseruari faciant. Non obstantibus testatorum, & aliorum voluntatibus ac foundationibus, & Bonifacij prædicti de vna, & Concilij generalis de duabus, non tamen tribus dietis, ac quibusuis alijs Apostolicis, necnon in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusuis Ecclesiarum, Monasteriorum, & illorum ordinum, Hospitalium, Militiarum Confraternitatum, Collegiorum, & aliorum piorum locorum prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiã immemorabilibus, priuilegijs quoque indultis, exemptionibus, libertatibus, gratiis, & literis Apostolicis Ecclesijs, Monasterijs, & ordinibus, Hospitalibus, Confraternitatibus, Collegijs, & Pii locis, ac eorum superioribus, & personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatorijs derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis in genere, vel in specie, ac alijs quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, pluries innouatis; etiam si in eis caueatur expressè, quod illis nisi sub certa inibi expressa forma, aut alijs derogari nõ possit. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idè importantes mentio, seu quauis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum infererent presentibus, plenè, & sufficièter expressis habètes, illis alijs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cõtrariis non obstantibus quibuscunque: aut si supradictis, vel quibusuis alijs ab Apostolica sic Sede indultum, quòd interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non faciètes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ordinationis, statuti, applicationis, concessionis, impartitionis, commissionis, iniunctionis, declarationum, decreti, voluntatis, onerationis, hortationis, monitionis, requisitionis, præcepti, mandatorum, & derogationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attétare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo septuagefimo secundo. Tertio Kal. Ianuarii, Pontificatus Nostri Anno primo.

Cę Glorierius.

CONTRA



CONTRA MONIALES EXEUNTES A CLAVSVRA,

absque licentia ex causa magni incendii, aut infirmitatis lepre, vel epidimie, tantummodo concedenda, & contra eas concomitantes, aut receptantes, Superioresque aliter exeundi licentiam concedentes.

His licentiis in necessitatibus tantummodo vrgentibus vti licere declaravit Greg. 13. infra in const. 36. Vbi gratia.

De clausura Monialium habes etiam sup. in const. 8. Circa pastoralis. fol. 930. & const. 22. Regularium, fol 952. cum ibi not.

Pius Episcopus servus servuorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

**D**ecori, & honestati omnium sanctimonialium, quarum Iesus Christus Dominus noster sponsus est, vt in puritate, & castitate superedificantes, in ipso feliciter inhabitare valeant, consulentes, ea que illarum existimationi detrahere possent, decet nos consulto commouere. Sanè periculo, & scandalo plena res est, ac regulari obseruantie vehementer aduersatur, sanctimoniales aliquando parentes, fratres, sorores, aut alios agnatos, vel cognatos necnon Monasteria, & alia filiationes nuncupata, etiam eis subiecta visitandi, aut infirmitatis causa, aliove pre-textu à Monasterijs exire, & per seclarium personarum domus discurrere, & vagari, quo veluti colore eximium quoque honestatis, & pudicitie decus in discrimen committunt. Vnde nos malo huic pro nostro Pastoralis officij debito salubriter occurrere volentes, inhaerentes etiam decreto sacri Concilij Tridentini, de clausura Monialium disponenti, ac alijs nostris literis super huiusmodi clausura editis adijcientes, volumus, sancimus, & ordinamus nulli Abbatissarum, Priorissarum, aliarumve Monialium, etiam Carthusensium, Cisterciensium, Sancti Benedicti, & Mendicantium, & quorumcunque aliorum ordinum, etiam Militiarum, ac statuum, graduum, conditionum, dignitatum, ac praeminentiarum existentium, etiam à Regia, vel Illustri prosapia ortarum, de cetero etiam infirmitatis, seu aliorum Monasteriorum, etiam eis subiectorum, aut domorum, parentum, aliorumve consanguineorum visitandorum, aliave occasione, & praetextu, nisi ex causa magni incendij, vel infirmitatis lepre, aut epidimie, que tamen infirmitas, praeter alios ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci ordinarium, etiam si praedicta Monasteria ab Episcoporum, & ordinariarum iurisdictione exempta esse reperiantur, cognitae, & expresse in scriptis approbata sit, à Monasterijs praefatis exire, sed nec in praedictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licere; Aliter autem, quam, vt praefertur egredientes, seu licentiam exeundi quomodocunque concedentes, necnon comitantes, ac illarum receptatrices personas, siue laicas, aut saeculares, vel Ecclesiasticas consanguineas, vel non, excommunicationis maioris latae sententiae vinculo statim eò ipso absque aliqua declaratione subiacere, à quo praeterquam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolui nequeant. Et insuper tam egressas, quam praesidentes, & alios Superiores praedictos eis licentiam huiusmodi concedentes, dignitatibus, officijs, & administrationibus per eas, & eos, tunc obtentis privamus, & illas, & illos ad obtenta, & alia in posterum obtinenda inhabiles, necnon licentias, & facultates, seu indulta, & privilegia exeundi à Monasterijs, & extra illa standi à nobis, seu alio Romano Pontifice praedecessore nostro, ac Sedis Apostolicae Nuncijs, & Legatis, etiam de latere, ac maiore poenitentiario, aut ordinum praedictorum Superioribus, alijsve personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis restitu-

tuus,



tius, presentatiuis, mentis attestatiuis, etiam nouam gratiam, & datam concedentibus, aliisque efficacioribus, & efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolica potestate plenitudine, etiam Imperatoris, Regum Ducum, & aliorum Principum, necnon S. R. E. Cardinalium intuitu, & contemplatione, ac instantia, vel alias quomodolibet concessa (quæ prorsus abolemus) ac literas desuper confectas, & in posterum concedendas, & conficiendas nullas, & inuvalidas, nulliusque roboris, ac momenti fore, nec illas habentibus, & habituris suffragari posse, & ita per quoscumque Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane quicquid secus super his à quoquā quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Mandantes vniuersis, & singulis Venerabilibus fratribus nostris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum ordinariis in virtute Sanctę obedientię, & sub obtestatione diuini iudicii, & interminatione maledictionis æternę, quatenus perse, vel alium, seu alios presentes literas in Ciuitatibus, & diocesisibus propriis quolibet anno publicent, omniaque in illis contenta, necnon præfatum decretum ipsius Concilii, quod incipit Bonifacii V I I I. Diligenter, & inuiolabiliter sub censuris Ecclesiasticis, aliisque præfatis pœnis, & in eodē decreto contentis, obseruent, & obseruari faciant, & procurent, Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes, etiam aliis pœnis auctoritate nostra, appellatione postposita cōpescendo: Necnon legitimis super his habendis seruatis processibus pœnis ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, interdictum Ecclesiasticum apponendo. Inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel diuim ab eadem sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Aliis Apostolicis constitutionibus, & iuribus, de huiusmodi clausura disponentibus, nihilominus in suo robore duraturis. Ceterum volumus, quod præsentium transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorsus fides ubique Terrarum, tam in iudicio, quam extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitę, vel ostensę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę sanctionis, ordinationis, priuationis, abolitionis, decreti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romę, apud Sanctam Petrum, anno incarnationis Dominicę, millesimo quingentesimo sexagesimo nono, Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno quinto.

Cā. Glorierius.

H. Cumya.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo, indictione decimatertia, die vero vigesima septima mensis Februarii, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris, & Domini nostri Domini Pii diuina prouidentia Papę V. Anno eius quinto, retrospectę literę Apostolicę affixę, & publicatę fuerunt Romę ad ualuas Cancellarię Apostolicę, & in acie Campi Florę, vt moris est per nos Ioannem Guererum, & Christianum de Monte prælibati Sanctissimi Domini nostri Papę Cursores.

Antonius Clerici Magister Curf.

S. D. N.



S. D. N. D. GREGORII PAPÆ XIII. REVOCATIO  
 omnium licentiarum ingrediendi Monasteria  
 Monialium, & Virorum.

Et prohibitio, Ne habentes licentias ab Episcopis, vel Superioribus in casibus  
 necessariis, ingrediantur Monasteria Monialium, nisi vr-  
 gentibus necessitatibus.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei. Ad futuram rei  
 memoriam.

**V**BI gratiæ, & indulta ab hac Sede concessa successu temporis incommodum  
 afferre noscuntur: expedit illa salubri præfidentis consilio submoueri. Pro-  
 inde sanctimonialium quieti, & tranquillitati consulere, ac omnia quæ il-  
 las à spiritualium rerum cognitione, & exercitio auocant, impedimenta tollere, pe-  
 riculaque, & scandala ab eis remouere cupientes, auctoritate præsentium reuoca-  
 mus, & abolemus, omnes & quascunque licentias, ac facultates ingrediendi Mona-  
 steria, Domos, & loca Monialium, ac etiam Virorum quorumuis ordinum, quibusuis  
 etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, & aliis cuiuscunque status, & conditionis  
 mulieribus, ac etiam omnes, & quascunque licentias ingrediendi Monasteria, & Do-  
 mos, & loca ipsarum Sanctimonialium, quibuscunque viris etiam eiusdem status, &  
 dignitatis tam à prædecessoribus nostris, quàm etiam à nobis, & Sedis Apostolicæ Le-  
 gatis, aliis ex quibus quantumcunque vrgentibus causis sub quibuscunque tenori-  
 bus, etiam derogatoriis derogatoriis, reuocatoriis restitutoriis, aliisque effi-  
 caciorebus clausulis, irritantibusque, & aliis decretis etiam motu proprio, & ex cer-  
 ta scientia, de quæ Apostolicæ potestatis plenitudine, atque ad Imperatoris Regum,  
 Reginarum, aliorumve Principum contemptationem, vel supplicationem concessas,  
 confirmatas, ac etiam iteratis vicibus renouatas, Cassamusque, & annullamus lite-  
 ras desuper confectas, & processus habitos per easdem. Inhibentes eisdem, qui illas  
 obtinuerunt, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, super qua à nemi-  
 ne nisi à Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo) absolutionis benefici-  
 um possit impertiri, ne ipsarum licentiarum prætextu Monasteria huiusmodi quouis mo-  
 do ingredi audeant. Abbatissis verò, necnon Abbatibus, conuentibus, & aliis Mona-  
 steriorum vtriusque sexus superioribus, & personis quocunque nomine vocentur, di-  
 strictè præcipimus sub eadem excommunicationis pœna, necnon priuationis dignita-  
 tum, beneficiorum, & officiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum  
 obtinenda, ne in Monasteria, Domos, & loca sua quemquam prætextu huiusmodi li-  
 centiarum, & facultatum ingredi faciant, vel permittant. Quin etiam sub eisdem pœ-  
 nis ipso facto incurrendis prohibemus, atque interdiciamus omnibus, & quibuscun-  
 que personis Ecclesiasticis, & secularibus, ac etiam ordinum quorumcunque etiam  
 Mendicantium regularibus, ne prætextu licentiarum ab Episcopis, vel Superioribus  
 quibus illas concedendi in casibus necessariis tantum ex decreto Concilii Tridenti-  
 ni tribuitur, ne Monasteria ipsa Monialium pro libito, sed necessitatibus vrgentibus  
 dumtaxat ingredi, neve Moniales sub eisdem pœnis illos aliter admittere præsumat.  
 Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis. Mona-  
 steriorumque, & ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolicis, vel  
 quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, ex-  
 ceptionibus, & indultis Apostolicis, illis eorumque superioribus, prædictis, ac alijs  
 quibuscunque per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, &  
 dictam sedem sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac eum quibusuis clausulis,  
 & decretis concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus renouatis, quibus om-  
 nibus, eorum tenores, perinde ac si de verbum infererentur, præsentibus pro  
 sufficienter



sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permanens hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque. Quoniam autem difficile esset presentes ad omnia loca perferri, volumus earum exemplis etiam impressis manu notarii publici, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem fidem in iudicio, & extra illud ubique locorum adhiberi, quæ adhiberetur presentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reuocationis, abolitionis, cessationis, annulationis, inhibitionis præcepti, prohibitionis, interdicti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1575. Idibus Iunij, Pontificatus nostri anno quarto.

M. Darius.

Cæ. Glorierius.

A. de Alexijs.

BREVE S. D. N. PII, DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ V.  
Super reuocatione licentiarum ingrediendi Monasteria, ac Domos Carthusienſium, & aliorum quorumcunque regularium ordinum, etiam mendicantium quibusuis mulieribus concessarum.

Pius Papa V. Ad perpetuam rei memoriam.

**R**egularium personarum, quæ relicto sæculo, Dei se obsequio dedicarunt, pro commisso nobis officio, quieti consulere cupientes, ad ea remouenda, quæ religiosum earum propositum impedire possunt, curam nostram libenter intendimus, vt nulla re, quæ eas à Diuino cultu auocet, præditæ, secundum ordinum suorum regularia instituta, & decretum sacri Tridentini Concilij, tranquillis mentibus gratum altissimo impendere possint famularum. Quia igitur, & Carthusienſium ordinis, & aliorum regularem vitam professorum quies uon parum solet, sicut accepimus, perturbari: propterea, quod mulieres, modestiæ matronalis oblitæ, Domos, ac Monasteria eorum, contra ipsorum instituta, prætextu confessionalium, aut aliarum literarum Apostolicarum ingredi audeant, ipsis etiam Abbatibus, Præpositis, Prioribus, & alijs Præsidentibus aliquando reculantibus, & renitentibus, non sine magna eorum molestia, nec sine graui laicorum etiam offensione, ac scandalo, si quando admitti nimis facile videantur: huic rei prouidere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulas facultates, ac licentias ingrediendi Monasteria ac domos Carthusien. & aliorum quorumcunque regularium ordinum, etiam mendicantium, mulieribus cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, & quacumque dignitate, ac præeminetia præditis, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, & cum quibuscunque etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, Necnon irritantibus decretis ab Apostolica Sede quomodocunque concessas: quarum tenores perinde, ac si de verbo, ad verbum presentibus insererentur, haberi volumus pro expressis, tenore presentium, reuocamus, & cassas, irritas, & inanes esse decernimus, districtè prohibentes mulieribus quidem prædictas facultates, & licentias prætendentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, postquam harum literarum notitiam habuerint, à qua non possint



possint, nisi à nobis, aut à Romano Pontifice, qui pro tempore fuerit, absolui, præterquam in mortis articulo: nè dictas Domos, & Monasteria ingredi audeant. Iphis vero Monasteriorum, & Conuentuum, Abbatibus, Præpositis, Prioribus, & alijs Præfidentibus quocunq; nomine vocentur, & eorum Monachis, Canonicis, & Fratribus, siue mendicantibus, siue non mendicantibus, sub priuationis officiorum, quæ in præsentia obtinent: & inhabilitatis in posterum ad illa, & alia omnia, & suspensionis à diuinis, ipso facto, sine alia declaratione, incurrendis pœnis, nè eas introducere, admittere præsumant. Non obstantibus præmissis, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrarijs quibuscunq;. Volumus autem, & mandamus, vt hæc literæ ad valvas Basilicæ Beati Petri Apostolorum Principis, & in Cancellaria nostra, atque in acie Campi Floræ de more publicentur. Quia verò difficile foret has literas ad omnia loca deferri, volumus, & declaramus, vt earum exemplis, & transumptis manuscriptis, vel impressis, & manu alicuius Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis, par vbiq; fides habeatur, ac si præsentibus exhibitis essent, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Octobris. M. D. LXVI. Pontificatus nostri Anno primo.

Ant. Florebellus Lauellinus.

DECLARATIO SVPER FACVLTATE QVAM HABENT  
ordinarij, & alij Monialium Superiores ingrediendi  
earum monasteria.

Gregorius Papa XIII. Ad futuram rei memoriam.

**D**Vbijs, quæ emergunt, declarationis remedium expedit adhibere. Cum igitur super eo quod optima primùm ratione Concilium sanxit Tridentinum, deinde in constitutione fel. rec. Pij Papæ V. prædecessoris nostri nonis Iulij Pontificatus sui anno tertio, atque item nostra idibus Iunij Pontificatus nostri anno quarto editis, fuit prouisum, nè cui in posterum, nisi in casibus necessarijs septa Monasteriorum monialium ingrediendi concederetur licentia, à nonnullis dubitatum fuisse sciamus circa personas, quæ alterius ad id licentia non indigent: sed sui auctoritate officij nituntur, an liceat eis pro libito suæ voluntatis huiusmodi septa ingredi, vel potius seruire debeant ipsi quoque regulam à Concilio præscriptam. Nos omnem hæsitationis materiam tollere, & viam scandalis præcidere, ac sanctimonialium quieti consulere volentes, harum tenore auctoritate Apostolica declaramus Prælatos omnes tam sæculares, quàm regulares, quibus cura, & regimen monasteriorum monialium quouis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria prædicta ita demum vti posse, si id faciant in casibus necessarijs, & à paucis, iisque senioribus, ac religiosis personis comitati. Quocirca vniuersos, & singulos Episcopali, seu maiori, ac etiam Cardinalatus dignitate præditos, necnon quorumuis ordinum Abbates, Præpositos, Priores, Ministros, & alios quoscunq; Superiores regulares serio monemus, vt facultate huiusmodi, qui eam habent, præterquam in casibus, vt præfertur, necessarijs nequiquam vtantur. Quod si contrafecerint, eadem auctoritate Apostolica statuimus, atque decernimus, qui Pontificalis dignitatis fuerint, eos pro prima vice, qua contrafecerint, ingressu Ecclesiæ interdictos, pro secunda à munere Pontificali, & à diuinis suspensos, ac deinceps ipso facto absque alia declaratione excommunicatos existere, regulares verò omni officio, ac ministerio priuatos, excommunicationi similiter subiacere. Non obstantibus Apostolicis, ac in generalibus, & Prouincialibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, priuilegijs quoque, indulgijs, & literis Apostolicis quibusuis Ecclesijs, earumve Prælati, aut Ordinibus in genere, vel in specie sub quibuscunq; tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatorijs, alijsq; fortioribus, efficacioribus, & insolitis

D d d clausulis,



clausulis, necnon irritantibus decretis quouis modo concessis, approbatis, & innotuatis, etiam si illis caueretur expressè, quòd nemo interdici, suspendi, vel excommunicari possit per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam de indulto huiusmodi mentionem, quibus, eorumq; totis tenoribus, perinde, ac si de verbo ad verbum infererentur presentibus, specialiter, & expressè derogamus, ceterisq; contrarijs quibuscunque. Quoniam verò difficilè esset presentes ad singula loca perferri, volumus earum exemplis etiam impressis, manuq; Notarij publici, ac sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem fidem in iudicio, & extra illud vbique locorū adhiberi, quæ adhiberetur ipsis presentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, Die 23. Decembris. M. D. LXXXI. Pontificatus nostri Anno decimo.

Cæ. Glorierius.

Anno à Natiuitate Domini Millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, Indictione vndecima, Die verò Sabbati trigesima mensis Decembris, Pontificatus S.D.N. D. Greg. diuina prouidentia Papæ XIII. Anno decimo, Retroscriptæ literæ in forma Breuis publicatæ, & affixæ fuerunt in acie Campi Floræ, vt moris est, per me Scipionem de Octauianis Apostolicum Curforem.

Calistus Brunettus Magister Curforum.

CONCESSIO INDVLGENTIÆ CONVENIENTIBVS  
ad concionem, & Missam maiorem, & ad orationem, &  
processionem sub vexillo.

Gregorius Papa XIII.

**A**D perpetuam rei memoriam. Cum nihil Pastoralis nostræ sollicitudini equè cordi sit, quàm salus animarum, idcirco, quibus possumus, rationibus Christiadeles ad exercitationes spirituales, piæque officia incitamus, vt hac via incedentes per obseruationem mandatorum Domini, diuinam misericordiam, & gratiam consequi mereantur. Itaq; de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vtriusq; sexus Christianis fidelibus in prouincia Mediolanen. pro tempore existen. qui sacrum Sermonem, concionemve audierint, quoties id egerint, toties quinquaginta dierum; qui verò die festo Missæ majori interfuerint, trium annorum, & totidem quadragenarum; qui Vesperis vnus anni; qui Completorio quinquaginta dierum indulgentiam in forma Ecclesiæ consueta concedimus. Præterea ijs, qui collegiatim sub vexillo suæ Ecclesiæ conuenerint ad visitationem alicuius Ecclesiæ, aut sacræ Reliquiæ toties centum dierum, si ad processionem generalem quinquaginta dierum; si ad processionem particularem viginti quinque dierum: si ad stationem orationis publicæ celebrandæ centum dierum: Iis verò qui consueuerint, vt plurimum hæc officia, & exercitationes spirituales cum Parochiali vicinia collegiatim obire, semel in anno, & sanctissima communionem sumpta in die festo proprio, & præcipuo suæ Parochiæ plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem concedimus, & elargimur. Contrarijs non obstantibus quibuscunque. Presentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 5. Aprilis 1580. Pontificatus nostri Anno octauo.

Cæ. Glorierius.

CON-



CONCESSIO INDVLGENTIÆ VNIVERSIS FIDELIBVS  
Prouinciæ Mediolanen. conuenientibus ad orationem  
XL. horarum.

Gregorius Papa XIII.

**V**niuersis, & singulis Christifidelibus Prouinciæ Mediolanen. præsentis lite-  
ras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. Quàm vberes ex  
orationis instituto ad populum Christianum semper prouenerint fructus,  
animo reuoluentes, ea libenter concedimus quibus fideles ad orationem maximè  
excitentur. Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, & Pauli  
Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi-  
fidelibus in dicta Prouincia Mediolanen. constitutis, qui orationi quadraginta ho-  
rarum ordinariæ, vel extraordinariæ iussu Episcopi expositæ per horæ spatium va-  
cauerint, tres annos, qui verò processioni interfuerint initio, vel in fine orationis  
celebratæ huiusmodi, in Cathedralibus decem, in alijs verò Ecclesijs quinque annos  
indulgentiæ in forma Ecclesiæ consueta concedimus; ac verò semel in anno die ab  
Episcopo præscribendo si Sacram etiam Eucharistiam verè pœnitentes, & confessi  
sumperint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem,  
tenore præsentium elargimur. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.  
Dat. Romæ apud Sanctû Petrum sub annulo Piscatoris die 5. Aprilis. M. D. LXXX.  
Pontificatus nostri anno octauo.

Cæs. Glorierius.

INDVLGENTIÆ A SANCTISSIMO D. N. D. GREGO. XIII.  
Perpetuò concessæ omnibus Ciuitatis, Diœcesis, & Prouinciæ Mediola-  
nensis, Christifidelibus, qui datis campanæ signis

Certo temporis spatio ab Illustrissimo Archiepiscopo Mediolani in Ecclesia sua,  
& ab vnoquoque eiusdem Prouinciæ Episcopo in suis Ecclesijs  
præscripto, aut præscribendo, orationi  
vacauerint.

Gregorius Papa XIII. Vniuersis, & singulis Christifidelibus Ciuitatis,  
& Diœcesis Prouinciæq; Mediolanen. Salutem, & Apostolicam  
benedictionem.

**C**oelestia arma, quibus inter cætera, dum in hoc seculo nequam peregrinan-  
tur Christifideles aduersus suæ salutis hostes in colluctatione assiduè vtend-  
um eis est, preces sunt, & oratio sancta. Cuius quidem orationis studium,  
cum & perpetum, & proprium, & necessarium eisdem esse, non solum verbis, sed ex-  
pli sui contestatione docuerit vnigenitus Dei filius, Christus, virtus, & sapientia  
Patris: nos, quæ ad sanctam illam precandi, orandi que exercitationem piè, ac reli-  
giosè, inspirante Deo, instituta sunt, in ijs illos sollicitè versari, spiritualique vir-  
tute longius indies semper progredi, summopere in Domino cupimus. Quare cum  
inter alia, quæ ad exercendam populi sui pietatem, sollicitudinis studio, dilectus fi-  
lius noster Carolus Borromæus Tituli Sanctæ Praxedis S. R. E. Presbyter Cardi-  
nalis, Ecclesiæ Mediolanensis Archiepiscopus, vtiliter instituit, illud ab eodem nu-  
per introductum esse acceperimus, vt singulis diebus, dato certo campanarum signo,  
patres familias, tum in vrbe Mediolano, tum in Diœcesi, vnà cum reliquis, qui de fa-  
milia sunt, suæ quisq; domi, ad orandum in locum vnum conueniant: salutare hoc

D d d 2 institu-



institurum, nos illius commendantes charitatē in vobis, vt in consuetudinē, vsumq; perpetuum recipiatis, per Crucem Christi Domini vos nostra Apostolica auctoritate hortamur. Quod autem ardentiori pietatis zelo, ac frequentissimē in ea re, tam religiosē instituta, perseueretis; spiritualibus vos gratijs prosequi, & sanctę Matris Ecclesię amplioribus etiam donis, ac thesauris cumulare volumus. Itaq; de omnipotentis Dei, cuius Vicarium in terris gerimus, misericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis vtriusque sexus Christifidelibus, humili, & contrito corde ad Deum conuersis, qui, datis campanę signis, certo eo temporis spatio ab eodem Cardinale, & Archiepiscopo, prescripto, aut pro tempore prescribendo, orationi vacauerint, quoties id fecerint, dies cętum; qui verō singulis diebus per totam hebdomadam ad prescriptum illud temporis spatium, in ea orandi exercitatione perseuerauerint, ijs annum; preterea qui per mensem, illis annos septem; & totidem quadragenas de iniunctis, vel alias quomodolibet debitis pœnitentijs; qui autem salutaris huius instituti vsum retinuerint, si contriti, & confessi, die Dominico Quadragesimam proximē precedente, Sanctissimum Eucharistię Sacramentum deuotē sumpserint, ijs plenariam omnium, & singulorum peccatorum suorum Indulgentiam; ac plenariam item in articulo mortis, misericorditer in Domino concedimus, & largimur.

Vtque ad alias etiam eiusdem Mediolanensis Prouincię Vrbes, Oppida, Vicos, & loca queuis, orandi hęc instituta exercitatio sanctę deriuetur; & qua vsquam instituta est, piē retineatur, & conseruetur: nos pro ea, quam gerimus, omnium Ecclesiarum sollicitudine, hanc ipsam Indulgentiam omnibus, & singulis alijs Christifidelibus, qui vsquam in eadem Prouincia hoc precandi institutum, ab suo Episcopo iam introductum, vel in posterum introducendum amplexi sunt, aut amplectentur, eodem, vt supra, modo in Domino concedimus his literis; quas sub quibusuis similibus, vel dissimilibus Indulgentiarum reuocationibus, suspensionibus, vel derogationibus per nos, seu Sedem Apostolicam, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, pro tempore editis, & edēdis nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas, & quoties illa edentur, in pristino statu esse, & cęnseri, atque eisdem Christifidelibus perpetuō suffragari, debere decernimus.

Datum Romę apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII. Octob. M. D. LXXII. Pontificatus nostri Anno primo.

Cæ. Glorierius.

SANCTISSIMI D. N. PII PAPÆ V.  
noua Constitutio.

De confidentijs beneficalibus, earumque casibus, presumptionibus, & probationibus, Cum relaxatione cognitionis causarum, preterquam pendentium, Itemq; futurarum, de collatoribus Episcopis, & superioribus, beneficijsque consistorialibus.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

**I**ntolerabilis multorum pueritas, qui sacrosanctas constitutiones nouis quotidie fraudibus eludere nituntur, sepe illarum auctores in necessitatem adducit cautius prouidendi, quod pertinacium animi ab improbis conatibus grauiore sanctione proposita reprimantur. Benè quidem & prouidenter fel. rec. Pius Papa IIII. Predecessor noster ad tollendam fiduciarię mancipationis beneficiorum Ecclesiasticorum corruptelam, statuit, & decreuit, vt ipso iure vacarent Ecclesię, Monasteria, cęteraq; beneficia Ecclesiastica in confidentiam à quibuscunq; etiam

S. R. E.



S. R. E. Cardinalibus cuiusvis personæ contemplatione, vel intuitu recepta, liberā illorum dispositionem sibi, & Apostolicæ Sedi reseruando, nec valent ipsorum collationes, seu cōcessionēs, nec fructuum nec pensionum reservationes, nec facultates illas transferendi, nec regrediendi, seu accedendi, & ingrediendi ad Ecclesias, monasteria, & beneficia supradicta, illaq; recipientes, fructus, pensiones, & alias res eorundem indebitè perciperent, Prohibens quibuscunq; etiam sub censuris Ecclesiasticis, nè quid huiusmodi amplius auderent. Ac etiam decreuit omnes, & quascunq; provisiones, præfectiones, collationes, commendas, & alias dispositiones de Ecclesijs, Monasterijs, & beneficijs, necnon reservationes fructuum, pensionum, rerum, & iurium, ac etiam transferendi, regrediendi, accedendi, & ingrediendi, aliasque facultates, siue per se, siue futuros Romanos Pontifices, etiam Motu proprio, ac consistorialiter, siue etiam per ordinarios collatores, etiam ad patronorum præsentationem, cum interuentu confidentiæ huiusmodi siue expressè, siue occultè, ac de iure præsumpto, & alias contra prædicta pro tempore factas, nullius momenti fore, nec cuiquam suffragari: sed Ecclesias, Monasteria, & beneficia huiusmodi ipso iure vacare, ac prædictæ dispositioni reseruata esse, sicq; per quoscunq; etiam per præsumptiones, & coniecturas legitimas, & alias eorum arbitrio procedendo (cum alioqui confidentias huiusmodi in lucè erui, & probari non posse constaret) iudicari, & diffiniri debere. Necnon irritum, & inane quicquid secus contingeret attentari, quemadmodum confectis super his literis, suis plenius cōtinetur. Veruntamen propter improbas multorum cupiditates, prædicta, quæ ad purgandā hac perniciæ Ecclesiā, & animarum salutē ab ipso prædecessore edita sunt, in multis deprehendimus viā aperuisse grauius delinquendi. Siquidem cum frequentibus plurium querelis pridem conuocati, quòd Iudices in causis huiusmodi confidentiarum expediendis remissiores essent, omnes & singulas causas ipsas vbicunq;, & inter quoscunq; motas ad nos aduocauissemus, ac omnimodam huiusmodi causarum præsentium, & futurarum, rerumq; omnium ex ipsis resultantium cognitionē nobis, & successoribus nostris reseruauissemus, & super quibusdā coram nobis processum fuisset, varijs, inde nec leuibus coniecturis intelleximus vitium quidem confidentiæ occultè irrepsisse, sed in plerisque causis præsumptiones, & coniecturas, quæ ad illud probandum deducuntur, minimè sufficere, eiusq; rei causa plurimos, qui ante literarum prædictarum editionē huiusmodi confidentias exercent, vbi cognouerunt obstrusam veritatem propter difficultates probandi in iudicio confidentias ipsas, contempra constitutione prædicta, Ecclesias, Monasteria, & beneficia sic recepta, vt prius retinere; alios fructus, pensiones & alias percipere; alios eorum exemplo ad similia, & grauiora fidentius commoueri: Multi enim ipsa beneficia iure retinere nequeunt, alij nè cogantur ad sacros ordines, ad residentiam, ad incedendum in habitu clericali, vt ad bellum proficiscantur, vt inimicos occidant; alij vt alieno nomine lites agant, aut defendant; alij propter crimina incapaces: quidam vt purgato delicto, vel absolutione consecuta illa repetant, eadem in alio deponunt, & in plerisque fructus ipsorum, aut eis ministrantur, aut quibus ipsi statuunt, sæpe laicis, & inhabilibus, plerique vel senes, vel infirmi, vt beneficia in domibus suis perpetuent, illa renunciant, & renunciant in alios, qui vel profanam familiam credentium de fructibus Ecclesiasticis alant, vel illa etiam nunc infantibus, aut nascituris asseruent, facto interdum circuitu retrocessionis, cum reservatione fructuum & aliarum rerum, aut accessu, præsertim ab illis qui præstandorum iurium Cameræ Apostolicæ sunt immunes: alij aut incapaces, aut alijs beneficijs Ecclesiasticis onusti, aut Ecclesiastico ordini sese mancipare refugientes, aut merè laici beneficia Ecclesiastica alijs conferenda procurant, vt de illis postmodum ad libitum suum disponatur, fructus etiam percipientes illorum. Adhæc plerique ordinarij, & alij collatores, ac etiam patroni laici curant deponenda beneficia, vt fructus, seu pensiones capiant eorundem, alijsve faciant ministrari. Alia item per multa eiusmodi admittuntur, quibus immaculata rerum diuinarum



Puritas impiæ violatur, disciplina Ecclesiasticæ neruus dirumpitur, & immines patrat exitium animarum: Quare nos volentes periculosam talium audaciam noui iuris subsidio cohibere, præsentium auctoritate statuimus, vt si quis quacumq; auctoritate Ecclesiam, vel Monasterium, aut aliud beneficium Ecclesiasticum qualecumq; ei resignatione, vel cessione cuiuscumq; personæ simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu, vel accessu, etiam sola dimittentis intentione receperit, vt illa nèn illud etiam in euentum regressus, vel accessus, eidem dimittenti, vel alteri postea conferatur, aut illius fructus, vel eorum pars alij, vel alijs concedantur, vel pensiones soluantur, ex eisdem hæc confidentia censetur. Itidè si ordinarius, vel alius collator contulerit hæc, aut conferat in futurum beneficium Ecclesiasticum quouis modo, vacans, ea cõditione tacita, vel expressa vt postea in alterum pro arbitrio Collatoris, seu alterius cuiuscumq; contra iuris communis ordinationem disponatur, siue, vt de eo prouisurus, fructus illius, vel partem ad vtilitatem, vel libitum cõferentis, vel cedentis, aut alterius relinquat, & remittat, seu pensionè illi, vel illis, quem vel quos idem collator, aut cedens, vel alius per se, vel alius scripso, aut verbo iusserit, seu significauerit, persoluar, & pariter si à patrõno etiam laico, vel alteri præsentatori, seu electori contigerit, aut contingat id fieri. Ad hæc si clericus prædictæ Cameræ, aut Cardinalis, aut alius à solutione iurium ipsius Cameræ, vel etiã Cancellarię Apostolicę exemptus, post resignationè, vel cessionem alicuius extranei, de Ecclesia, Monasterio, vel alio beneficio Ecclesiastico in se, Apostolica vel alia auctoritate factam, & admissam, illam vel illud, etiam consecis literis Apostolicis, & possessione apprehensa, in eundem resignantè, vel cedentem, modico spatio interiecto, veluti duorum, aut trium mensium retrocesserit, aut retrocedat in futurum, & ex illa retrocessione fructus Ecclesiæ, seu Monasterij, aut beneficij, vel eorum pars, seu pensio, seu quid aliud super illis reseruatam, aut regressus, seu accessus, & ingressus ad illã, vel illud, ipsi clerico, vel Cardinali, aut alij exemplo sit fueritve concessus: Postremo si quis crimine aliquo absolutus, aut cum quo super irregularitate dispensatum est, denuò receperit, quacumq; auctoritate Ecclesiam, Monasterium, vel aliud beneficium Ecclesiasticum, quod ante, vel post cõmissum delictum, aut contractam irregularitatè dimiserit, in quouis horum casuum cõfidentia præuitas sit contracta, casusq; huiusmodi literis prædictis cõprehendantur, ac si illis speciatim expressi fuissent licèt ipsum confidentia crimem alterius tantum partis conscientia sit admissum. Ad probandũ verò plenè confidentiarũ abusum, inter alias etiã hæc præsumptiones, & cõiecturæ habeantur legitimæ. Videlicet, Si quis post cessam ab se Ecclesiã, vel Monasterium, aut beneficium, & publicatã resignationè, seu cessionem captamq; à successore possessionè, sese in illa, vel illo, seu rebus illius, per se, vel alij, seu alios de facto ingesserit, aut fructus perceperit, aut quicumq; successor illi, vel eius propinquis ipsos, aut partem aliquam remisit eorundem. Si recipiens beneficium constituerit dimittentem, vel eius parentes, aut propinquos procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus beneficij dimissi, & illi, vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit; Si vel sola procuratoris depositione, vel libris rationalibus mensariorum ex parte dimittentis, expeditio, quæ personam recipientis concernit, prosecuta sit, simulq; expensæ pro ea necessariæ ab illo factæ fuerint. Denique si quis pro concessione alicui facta, quacumque auctoritate de beneficium Ecclesiastico per se, vel alium, seu alios intercesserit, vel aliàs in negotio cõcessionis sese immiscuerit quoquomodo, deinde aliquid de fructibus talis beneficij de facto, etiam per manus possessoris, ac etiam simplicis donationis titulo perceperit, seu de illo postmodum ad voluntatem intercessoris fuerit dispositum quando-cunque. Testes autem de quaque re singulares singulas probare valeant præsumptiones, & coniecturas, plarisque huiusmodi præsumptiones, coniecturæ plenam probationem faciant in prædictis. Cæterum criminosi, & cæteri omnes qui ad perhibendum in casibus Simonia testimonium recipi possunt, ad prædicta omnia admit-



tantur. Sed nē quisquam etiam vana fiducia fretus, non intendendi contra se iudicij in crimine perseueret, vtq; hoc malum grauioris censura stimulo vsquequaq; prohibeatur, omnes & singulos, qui hucusque Ecclesias, Monasteria, beneficia, fructus, pensiones, aliasve res, intercedente hoc confidentiæ vitio receperunt, ac retinent, nisi statim ad se reuersi, & respicientes celeri dimissione sibi prospexerint, & qui quid tale admiserint in futurum etiam omnibus, & singulis alijs Ecclesijs, Monasterijs, dignitatibus, administrationibus, officijs, & beneficijs obtentis, quæ pariter sub dicta reservatione cōprehendi volumus, necnon fructibus, pensionibus, & alijs rebus Ecclesiasticis, ac etiam Romanæ Curix, & alijs officijs temporalibus, præsentium auctoritate priuamus, & ad futura inhabiles decernimus, & in iuris subdium executionis sententia innodamus, à qua nullus, nisi in mortis articulo constitutus ab alio quàm à Romano Pōtifice, absolutionis beneficiū valeat obtinere. Nos enim aduocatione causarum huiusmodi, & reservatione cognitionis illarum, rerumq; omnium inde emergentium, nobis, & prædictis successoribus, vt prædictū est, facta (causis illis duntaxat exceptis, quæ iam corā nobis pendere noscuntur, ac etiam ijs, quas ratione Ecclesiarum, & Monasteriorum, quorum dispositio in consistorio fieri consuevit, aut debet, itemq; contra ordinarios Collatores Episcopos, & alios superiores prælatos, etiam Cardinales haberi contigerit, vt iam alijs nostris literis statutū est, audiendis, decidendis, & terminandis) harum serie prorsus relaxata, decernimus ita deinceps quoscunq; Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & illarum quacunq; quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbiq; iudicare, interpretari, & diffiniri debere, necnon irritum, & inane quicquid secus in prædictis per quoscunq; quauis auctoritate, scienter vel ignorāter contigerit, attentari. Quo circa omnibus locorum Ordinarijs districtius iniungimus, vt in suis quisq; Ecclesijs, Ciuitatibus, Diocesis, & locis etiam exemptis, ad prædicta studiosè attendant, & quatenus illis relaxauimus, in delinquentes seuerè animaduertant, si Diuinæ Maiestatis iudicium, dictæq; Sedis censuram voluerint euitare. In ceteris verò causis, negotijs nobis, & prædictis successoribus exceptis, eosdem locorum ordinarios, præsentium auctoritate delegamus, vt gratia, & fauore postpositis, pro se quisq; cum venerit vsus, contra prædictos omnes sub ipsa exceptione cōprehensos diligenter inquirent, suosq; inquisitiones omnes sigillo obsegnatas ad prædictam Sedem quam primū transferant, vt nos ex prædicti successores in causis huiusmodi procedentes, quod iustum fuerit, decernamus. Non enim singulis ordinarijs ipsis, prædictos oēs, & quoscunq; alios, etiā exemptos, etiam per edictum publicum, constituto prius summarè & extraiudicialiter de nō tuto ad illos accessu, citandi, & monendi, eisq; ac iudicibus ordinarijs, & delegatis, alijsq; personis quibuscunq; nē prædictorum executionem quoquomodo impediunt, vel aliā iu illis sese interponant, etiā per simile edictum inhibendi, eosdemq; alios contraditores, & rebelles quoscunq; per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac omnia iuris, & facti remedia opportuna cōpellendi, auxilium brachij secularis, quandocunq; opus erit, inuocandi, ceteraq; in prædictis omnibus, & singulis necessaria faciendi, & exequendi, plenam, & liberam tenore præsentium concedimus facultatem. Non obstantibus fel. recordat. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, alijsq; Apostolicis constitutionibus, & ordinationibus, quodq; Episcopis, Collatoribus, & Prælati prædictis, etiam Cardinalibus, vel quibusuis alijs communiter, vel diuisim à prædicta sit Sede indultum, vel imposterum indulgeri contingat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut contra indulta huiusmodi ad iudicium trahi non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, & de verbo ad verbū de indulto huiusmodi mentionē, & quibuslibet alijs priuilegijs, indulgentijs & literis Apostolicis, generalibus, vel specialibus, quorumcunq; tenorem existant, per quæ præsentibus non expressa, aut in totum non inserta effectus



præsentium aut attributa prædictis Ordinarijs iurisdictionis explicatio, seu exercitium, vel executio impediri valeat, quomodocunque vel differri, & de quibus eorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis, ceterisque contrarijs quibuscunque. Literis prædecessoris huiusmodi nihilominus in suo robore duraturis. Volumus autem ut præsentium exempla etiam impressa edantur, eaque Notarij publici manu, & cuiuscunque Curia Ecclesiastica, eiusve Prælati sigillo obsignata, eandem illam prorsus fidem in iudicio, & extra ubique locorum faciant, quam ipsa præsentia facerent, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ priuationis, statuti, decreti, innodationis, iniunctionis, delegationis, concessionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo sexagesimo nono, Kal. Iunij, Pontificatus nostri Anno quarto.

Cæs. Glorierius.

**REVOCATIO PRIVILEGIORVM, CONSVETVDINVM,  
& statutorum præstandi, seu recipiendi fructus, distributiones, seu dulciaria.**

Pius Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

**D**Vrum nimis, & incommodum arbitramur, quod Ecclesiarum ministri in ijs, que ad ipsorum sustentationem suppeditant, dispensia patiantur. Quo circa cum ad rem, simulque prohibendam ab Ecclesia Dei auaritiæ prauitatem, editas ante hac sanctiones minimè satis esse intelligimus, nouæ constitutionis subsidio cogimur prouidere. Cum itaque aliàs ex plurium Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiarum constitutionibus, aut ex praua consuetudine obseruari intelligeretur, ut in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia prouisione, siue admissione ad possessionem alicuius Cathedralis Ecclesiæ, vel beneficij, canonicatû, aut præbendarû, vel partè prouentû, seu ad distributiones quotidianas certæ conditiones seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, cõpensationes ve illicitæ, aut etiã que in aliquibus Ecclesijs dicuntur turnorû lucra, interponerentur licet sancta Synodus Tridentina hæc deestata mādauerit Episcopis, ut quæcunque huiusmodi, que in vsus pios non cõuerterentur, atque ingressus eos, qui Simoniacæ labis, aut sordidæ auaritiæ suspicionem haberet, fieri non permitterent, ipsique diligenter de eorum constitutionibus, siue consuetudinibus super prædictis cognoscerent, & illis tantùm, quas probarent exceptis, reliquas ut prauas, & scandalosas rejicerent; eos verò, qui aduersus prædicta quouis ratione commississent, pœnis contra Simoniacos editis, teneri decreuerit: multorum tamen indomita cupiditate, tam prædicta, quam alia ad beneficium, & commodum ipsorum ministrorum edita, aut omnino contemnuntur, aut in varios sensus traducta perperam eluduntur. Quare nos pro diuini cultus exercitio, simulque euocatorum ad illum auxilio plenius, euidentiusque consulendum fore, rati, reuocamus, & abolemus omnia, & quæcunque priuilegia, consuetudines, & statuta quorumcunque Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum, ac maiorum, necnon Collegiarum, etiam iuramento confirmatione Apostolica, aut alio quouis præsidio munita, ac etiam supra hominum memoriam, & lungissimo, ac quantumcunque tempore etiam continuò obseruata, siue pro persoluendis Ecclesiarum, vel

Præla-



Prælatorum debitis, siue pro supportandis illorum oneribus, siue aliis etiam maioribus, maximis, & vrgentissimis causis concessa, & approbata, ac etiam multiplicatis vicibus innouata, extensa, & moderata, quod vacantibus ipsarum Ecclesiarum dignitatibus, canonicatibus, præbendis, portionibus, beneficijs, & officijs, fructus, ac etiam quotidianæ distributiones ex eis primo ab ipsa vacatione Anno, aut lógio re, vel etiam breuiore tempore prouenturi, mense Episcopali; seu capitulari, aliove loco integrè, vel partim remaneant, seu applicentur, aut in communes vsus cedant, seu inter alios canonicos, & personas Ecclesiæ, seu capituli diuidantur. Quodque nullus etiam Apostolica auctoritate prouisus in Canonicum recipi, aut ad dignitatem, seu portionem, beneficium, vel officium admitti, vel alias in eius possessionem induci possit, nisi prius de obseruandis huiusmodi priuilegijs, consuetudinibus, & statutis iuramentum præstiterit, & obtentæ illorum derogationi, ac fructuum, & distributionum perceptioni renunciauerit, seu capitulo, & personis prædictis cesserit, seu (vt appellant) dulciaria, aut quid aliud præstiterit. Quorum omnium tenores, causas, & effectus habemus præsentibus pro expressis quibuscunq; illa concepta sint formulis, necnon irritantibus, & alijs decretis roborata. Volentes ea omnia vires, & effectum de cetero non habere. Præcipimus igitur, & interdiciamus omnibus Episcopis, Capitulis, Collegijs, & personis, ad quos id pertinet, nè posthac fructus, aut distributiones huiusmodi, nec prorsus vllam eorum partem retineant, neve ipsorum cessionem, vel renunciacionem, aut dulciaria, vel alia quomodocunq; petant, vel exigant, aut quemquam siue ordinaria, siue Apostolica auctoritate prouisum, ad præstandum huiusmodi iuramentum inducant, aut illi prædicta non facienti possessionem impediunt, vel remorentur. Quicumque contrafecerint, si Ecclesiarum Antistites, tam diu à Pontificalis officij exercitio sint suspensi, donec satisfactioe præuia illis per sedem Apostolicam suspensio relaxetur: capitula verò, & collegia quæcunq; Ecclesiastico subiacent interdicto, ac singulares personæ in excommunicationis sententiam incurrant, à qua, nisi in mortis articulo constituti, ab alio, quàm à Romano Pontifice absolutionis beneficium nequeant obtinere. Decernentes huiusmodi præstita iuramenta non tenere, nec quemquam illis obligari, quinimo iurantes in huiusmodi censuram incidere, necnon irritum, & inane quicquid secus super his per quoscunq; scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus statuimus, vt vbicunq; huiusmodi fructus, & distributiones fabricæ, vel sacristiæ, aut alterius pij loci vsibus vltra semestrem tēpus reperitūtur concessi horum duntaxat dimidia pars ipsi sacristiæ, vel fabricæ, aut pro loco deinceps tribuatur, alteram verò beneficiati prædicti integrè percipiant. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis contrarijs quibuscunq; aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab Apostolica sit sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, decreto prædictæ Synodi, ac etiam constitutionis scelicis recordationis Iohānis Papæ XXII. quæ incipit, Suscepti, & alijs iuribus hac de re disponentibus nihilominus alijs in suo robore duraturis. Ceterum per prædicta non intendimus illis præiudicare Capitulis, Collegijs, mensis, aut personis fructus, & distributiones inter vacationem beneficiorum, & eorum collationem, siue possessionis apprehensionem provenientes ex statuto, consuetudine, vel priuilegio huiusmodi percipientibus, vel retinentibus, quominus ipsi illos interim, vt antea, exigere valeant, & habeant. Postremò volumus, vt præsentium exempla etiam impressa, Notarij publici manu & Prælati Ecclesiastici eiusve curiæ sigillo obsignata eandem illam prorsus fidem vbique locorum in iudicio, & extra illud faciant, quam faceret ipsemet præsentis, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reuocationis, abolitionis, præcepti, interdicti, decreti, statuti, intentionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare

presum-



præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo, pridie Kalend. Iunij. Pontificatus nostri anno quinto.

DE IVDÆIS, ET INFIDELIBVS CON-  
uerfis, Neophitisve.

Paulus Papa III.

**A**D perpetuam rei memoriam. Cupientes Iudæos, & alios infideles quoslibet ad fidem Catholicam conuerti, & prætextu honorum per eos antea possessorum ob eandem fidem non distrahi, Motu proprio ex certa nostra scientia auctoritate Apostolica tenore præsentium hac in posterum valitura constitutione sancimus, quòd cuiuscumq; eorundem Iudæorum, & infidelium ad dictam fidem conuerti volenti, etiam si in patria potestate constitutus fuerit, bona sua quæcunque tam mobilia, quàm immobilia, intacta, & illæsa permaneant, ita vt etiam filij familias, & in patria potestate ( vt præfertur ) constituti, legitima, & quacumq; alia portione bonorum patrimonialium, aut maternorum eis de iure, seu successione bonorum eis aliàs debitorum per eorum parentes fraudari, aut priuari non possint, neque debeant, sed eis integrè, etiam si contra voluntatem parentum suorum ad fidem ipsam conuersi fuerint, etiam eorum parentibus uiuentibus debeantur. Et si bona ipsa ex usura, aut illicito quæstu fuerint acquisita, & notæ sint personæ, quibus eorum fuerit restitutio de iure facièda restituatur male ablatu, illa eisdem personis omnino restituantur, personis uero non extantibus prædictis, quia bona ipsa essent per manus Ecclesiæ in pios usus conuertenda, bona huiusmodi eisdem Iudæis & alijs infidelibus in fauorem suscepti baptismatis, tanquam in pium usum liberè concedimus, eaque apud ipsos sic conuersos Iudæos, & alios infideles remanere decernimus: Interdicentes sub diuini anathematis pœna quibusuis tam Ecclesiasticis, quàm secularibus personis, nè ullam super bonis huiusmodi quouis quæsto colore molestiam inferant, aut inferri patiantur, sed magnum se fecisse lucrum existiment, dum tales Christo lucrati fuerint. Et quoniam, vt scriptum est, qui habuit substantiam mundi huius, & uiderit fratrem suum necessitatem habere & clausit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in ipso, si ipsi conuersionis tempore inopes, aut indigentes fuerint, omnes tàm Ecclesiasticas, quàm seculares personas per viscera misericordiæ Dei nostri exhortamur, vt ipsis conuersis manus porrigant adiutrices: ipsi quoque diœcesani non solum Christianos ad subuentionem ipsorum exhortentur, sed etiam tam de redditibus Ecclesiarum, prout potuerint, quàm de ijs, quæ ad pauperum usus per ipsos conuertendos deuoluuntur, huiusmodi neophitos sustentare non negligant, ipsosq; à detractionibus, & contumelijs paterna affectione defendant. Et quoniam per gratiam baptismi ciues sanctorum, & domestici Dei efficiuntur, longæque dignius existit regenerari spiritu, quàm nasci carne, eadem constitutione statuimus, vt ciuitatum, & locorum, in quibus Sancto Baptismo pro tempore regenerabuntur, uerè ciues sint, & priuilegijs, ac liberatibus, & immunitatibus, quæ alij ratione natiuitatis, & originis dumtaxat consequuntur, gaudeant. Curent insuper Sacerdotes Baptizantes, & alij de sacro fonte eos suscipientes, tam ante Baptismum, quàm post, illos articulis fidei, ac legis nouæ præceptis, Catholicæque Ecclesiæ ritibus, diligenter instruere, & tam ipsi, quàm diœcesani operam dent, ne cum alijs Iudæis, seu infidelibus saltem per longum tempus conuersentur, nè sicut quandoque conrigit ab infirmitate curatis modica occasio ad pristinam perditionem recidiuos afficiat. Et quoniam, experientia teste, compertum est mutuam ipsorum neophitorum inter se conuersationem ipsos in fide no-

stra



stra fragiliores reddere, ac saluti ipsorum plurimum officere, hortamur locorum Ordinarios, ut quantum pro incremento fidei viderint expedire, curent, & studeant neophytos ipsos cum originarijs Christianis matrimonio copulare, & prohibeant eisdem sub grauibz pœnis, nè mortuos more Iudæorum sepeliant, aut Sabbata, aliaque solennitates, & antiquæ sectæ ritus quoquomodo obseruent, sed & Ecclesias, & prædicationes, prout alij Catholici frequentent, & in omnibus Christianorum moribus se conformes reddant. Contemptores autem prædictorum per Sacerdotes, in quorum Parochijs degent, aut alios, ad quos de iure, vel antiqua consuetudine de talibus inquirere spectat, aut etiam per alios quoscunque diœcesanis, seu inquisitoribus hæreticæ prauitatis deferant, & inuocato, si opus fuerit, auxilio brachij secularis, & per eos taliter puniantur, quod alijs transeat in exemplum: Et insuper de ijs omnibus in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs diligens fiat inquisitio, & tam circa Episcopos, & Sacerdotes in præmissis negligentes quam ipsos neophytos, & infideles prædictos contemptores opportunum adhibeatur remedium. Si quis autem cuiuscunque gradus, vel præminentia fuerit, huiusmodi neophytos, nè ad obseruationem ritus Christiani, & aliorum præmissorum cõpellantur, fauerit, aut defenderit, pœnas contra fautores hæreticorum promulgatas, ipso facto incurrat. Neophyti verò si se corrigere post monitionem Canonicam neglexerint, & ad vomitum iudaizantes redire comperti sint, contra eos, tanquam perfidos hereticos per Ordinarios locorum secundum sacrorum Canonum instituta procedatur. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis priuilegijs, indultis, & literis etiam Apostolicis, seu etiam Regijs, vel Imperialibus eisdem Iudæis, vel infidelibus quomodolibet concessis, quæ quatenus in detrimentum Catholicae fidei, aut nominis Christiani, seu aliquorum ex præmissis quomodolibet vergerent, ad effectum præsentium cassamus, & irritamus, ac cassa, & irrita decernimus, alijs decretis, & constitutionibus Apostolicis, quæ super præmissis sunt condita in suo robore duraturis. Et ut huiusmodi sanctæ cõstitutionis ingens memoria habeatur, & nè quisquã ipsius ignorantiam prætere possit, illa per singulas Cathedralis, & collegiatis Ecclesias, aliaque pia loca, in quibus erit fidelium concursus semel in anno ad minus infra diuina, publicari volumus, & decernimus. Et quia difficile foret præsentibus ad singula quæque loca deferri, volumus, & etiam declaramus, quod earundem præsentium transumptis, seu eopijs etiam impressis, & manu alicuius Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius prælati munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur ubicunque forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 21. Martij millesimo quingentesimo quatragesimo secundo. Pontificatus Nostri Anno octauo.

S. D. N. D. PII PAPÆ V. CONSTITVTIO CONTRA  
offendentes statum, Res, & personas Officij Inquisitionis  
hæreticæ prauitatis.

Pius Episcopus, seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

**S**I de protegendis ceteris omnibus Ecclesiæ ministris, quos in fidem & clientelam nostram à Domino recepimus, cura nobis quotidiana insidet, quanto maiore studio eam nos sollicitudinem capescere necesse est, ut qui in sacro Inquisitionis Hæreticæ prauitatis officio versantur, sub tutela inuiolata auctoritate huius sedis periculorum omnium expertes, quæque munera ad exaltationem fidei Catholicae exequantur? Cum itaque eius generis impiorum vis quotidie magis inualescat, qui omnibus malis artibus prædictum officium subuertere, ministrosque functionibus disturbare moliuntur, eò iam nos detrusit necessitas, ut nefariam, & sceleratam illorum audaciam acerbiorè castigationis verberè reprimamus. Hac igitur



generali constitutione de fratrum nostrorum consilio sancimus, vt quicumque siue  
 priuatus, siue cuncta Ciuitas, siue populus, siue dominus, Comes, Marchio, Dux,  
 vel potiore titulo illustris, quamuis ex Inquisitoribus, Aduocatis, Promotoribus,  
 Notarijs, alijsve ministris prædicti officij, vel Episcoporu id munus in sua Dicecesi,  
 aut Prouincia obeuntium, seu accusatorem, denunciatores; aut testem in causa fi  
 dei quomodocunque productum, vel euocatum occiderit, verberauerit, deiecerit,  
 seu perterrefecerit, quive Ecclesias, ædes, aliasve res siue publicas, siue priuatas offi  
 cij, aut ministrorum expugnauerit, inuaserit, incenderit, expilauerit; aut libros, li  
 teras, auctoritates, exemplaria, regeſta, protocola, exempla, scripturas, aliave in  
 ſtrumenta siue publica, siue priuata vbicunque poſita combuſſerit, diriperit, seu  
 interuerterit; seu ex incendio, aut direptione, aut alio quocunque modo illa expo  
 rtauerit, seu qui in conflagratione, expugnatione, aut direptione, etiam inermis,  
 siue capiendi, siue comburendi, siue ſupprimendi causa fuerit, siue res, aut perso  
 nas ſeruari, defendiue prohibuerit, quive carcerem, aut aliam cuſtodiam, seu publi  
 cam, seu ſeruatum effregerit, vinctum extraxerit, seu emiserit, capiendum prohibue  
 rit, captumve eripuerit, receperit, oculerit, seu facultatem effugiendi dederit, seu  
 iuſſerit id fieri; qui cœrum, concurſumve fecerit, siue vt aliquid prædictorum ſe  
 ret homines accommodauerit, siue alias auxilium, conſilium, aut fauorem publicè,  
 vel occultè in quolibet prædictorum ſcienter præſtiterit, licet nemo occiſus, nemo  
 verberatus, nemo extractus, emiſſus, vel ereptus, nihil expugnatum, nihil extractum,  
 ſuccenſum, direptumve, nullum denique damnum re ipſa ſit ſecutum; nihilominus  
 is ſit anathemate præſentis Canonis auctoritate ligatus, idem quoque leſe maiesta  
 tis reus, dominio, dignitate, honore, ſeudo, ac quocunque alio beneficio temporali,  
 & perpetuo eo ipſo, priuatus, ſecularis Iudicis arbitrio relinquatur, qui de eo illas  
 ipſas pœnas exigat, quæ damnatis primo capite dictæ legis per conſtitutiones legi  
 timas irrogantur, bonis, rebusq; omnibus ſiſci iuribus applicatis, vt etiam eſt de  
 damnatis hæreticis per ſanctiones Canonicas conſtitutum: eius filij paterna infamia  
 ſubiectionis, omnis, & cuiuſcunque hereditatis ſucceſſionis, donationis, & legati ſiue  
 propinquorum, siue extraneorum omnino ſint expèrtes, eiſdem præterea portæ nū  
 quam pateant dignitatum. Nemo autem expurgationem habere, aut cauſam vllam  
 proponere, vel prætereſſe poſſit, qui tantum nefas in contemptum, & odium hu  
 ius officij admiserit, niſi contrariū per claras probationes docuerit ſe feciſſe. Quod  
 de prædictis eorumque filijs ſtatuiſſimus, illud idem de omnibus clericis, & presbyte  
 ris, ſecularibus, & quorumuis ordinum, etiam exemptorum, regularibus, & qua  
 cunque etiam Episcopali, & maiori dignitate præditis, ac etiam priuilegio quomo  
 docunque ſuffulſis, decernimus exequendum, ita vt ipſi beneficijs, & officijs omni  
 bus Eccleſiaſticis præſentium auctoritate priuati, per Iudicem Eccleſiaſticum Hæ  
 reticorum more degradentur, demum poteſtati ſeculari traditi, pœnis prædictis lai  
 corum inſtar ſubijciantur; Pontificum tamen cauſis nobis, & ſucceſſoribus noſtris  
 reſeruatis, vt re quaſita, & nobis renunciata contra eos ad depoſitionem, & alias  
 pœnas prædictas procedamus, vt criminis atrocitas videbitur poſtulare. Quicun  
 que autem pro talibus veniam petere, aut alias intercedere tentauerint, in eaſdem  
 illas pœnas, quæ in Hæreticorum fautores à ſacris conſtitutionibus inferuntur, ip  
 ſo facto ſe nouerint incidiſſe. Verum ſi quis etiam huiusmodi criminum conſcius,  
 vel affinis, siue religionis ſtudio, siue pœnitentia ductus rem adhuc incognitam re  
 texerit, ſupplicio liberetur. Ceterum eam omnium, & quarumcunque abſolutio  
 nem rationem à prædictis criminibus, necnon habilitationum & reſtitutionum etiã  
 ad famam, & honores, ita deinceps habendam optamus, vt ſucceſſores noſtri nullas  
 niſi ſaltem ſemestri poſt cuiuſque aſſumptionem ad huius dignitatis ſaſtigium ex  
 curſo, ac precibus apud ſupremum officium Inquiſitionis hic inſtitutū verificatis,  
 concedant. Decernentes omnes, & quaſcunque huiusmodi abſolutiones, habilita  
 tiones, & reſtitutiones, quæ precibus ſic non verificatis de cetero ſent, nemini pro



ius prodesse, sed nec presentibus, nisi toto ipsarum tenore ad verbum inserto, & gratia ei certa Romani Pontificis scientia facta, & propria manu subsignata, vlla in parte derogatum censi debere, & si illis ex quacunque causa aliter derogari contigerit, derogationes huiusmodi nullius prorsus fore roboris, & momenti. Iubemus igitur vniuersos, & singulos Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, & ceteros Ecclesiarum prelatos per vniuersum orbem constitutos, vt per se, vel alium, seu alios presentes literas, aut earum exempla in suis quisque Prouincijs, ciuitatibus, Dioccesibus, & locis solenniter publicare, & quantum in se est, firmiter obseruari procurent, contradictores quoscumque per censuras, & pœnas Ecclesiasticas appellatione postposita, compescendo, ipsasque censuras, & pœnas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt presentium exempla etiam impressa edantur, eaque Notarij publici manu, & cuiuscumque curiæ Ecclesiasticæ, vel prelati sigillo obsignata, eandem illam prorsus fidem vbiq; locorum faciant, quam ipsa presentia facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ. Ceterum orbis terrarum Principes, quibus gladij secularis potestas ad malorum vindictam est permiffa, per eam, quam se tueri promiserunt fidem, obtestamur, ita suas quisque partes siue in prestando ministris predictis auxilio, siue in criminum post Ecclesiæ sententiarum animaduersione interponere, vt eorum quoque presidij ministri ipsi tanti officij munus pro Dei æterni gloria, & religionis incremento feliciter exequantur, amplissimum à Domino præmiũ recepturi, quod fidei predictæ assertoribus in eternæ beatitudinis consortio præparauit. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ sanctionis, legationis, statuti, decreti, iussionis, obtestationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incurfurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo sexagesimo nono Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno quarto.

APPROBATIO INDICIS LIBRORVM PROHIBITORVM  
cum regulis confectis per Patres à Tridentina Synodo delectos ac prohibito illos de cetero habendi, vel legendi.

De declaratione, & expurgatione Indicis habes const. Greg. 13.  
Vt pestiferarum const. 10.

De materia librorum prohibitorum est etiam alia const. Pij 4. 108.  
Inter crimina, vbi notab.

Pius Papa IIII. Ad perpetuam rei memoriam.

**D**ominici gregis custodię Domino disponente præpositi, vigilis more pastoris nõ desistimus ipsi gregi ab imminentibus periculis, quanta maxima possumus cura, & diligentia præcauere, nè propter negligentiam nostram peccant oves, que preciosissimo Domini nostri Iesu Christi sanguine sunt redemptæ. Et si autem quæ ad fidei veritatẽ patefaciendam, & ad horum temporum hereses confutandas pertinebant, in œcumenico, & generali Concilio Tridentino, sancti spiritus assistente gratia, nuper adeo enucleata, ac definita fuerunt, vt facile iam sit vnicuique sanam Catholicamque doctrinam à falsa adulterinaque internosceret; tamen cum librorum ab hereticis editorum lectio non modò simpliciores homines corrumpere soleat, verum sæpè etiã doctos eruditosq; in varios errores, & à veritate fidei Catholicæ alienas opiniones inducere: huic quoque rei esse duximus prouidendum.

Cum,



Cum autem aptissimum ei malo remedium esse sciremus, si componeretur atque ederet index siue Catalogus librorum, qui vel heretici sint, vel de heretica prauitate suspecti, vel certe moribus, & pietati noceant, id negotium ad Sacram Tridentinam Synodum reieceramus. Ea verò ex tanta Episcoporum, & aliorum doctissimorum virorum copia delegit ad eum conficiendum multos cum doctrina, tum iudicio insignes Prælatos ex omnibus ferè nationibus. Qui quidem non sine maximò labore, plurimisque vigilijs, eum Indicem tandem, Deo iuuante, perfecerrunt, adhibitis etiam in consilium lectissimis quibusdam Theologis. Peracto autem Concilio, cum ex ipsius Synodi decreto is Index nobis oblatus fuisset, vt ne antederetur, quàm à nobis approbatus fuisset: Nos doctissimis quibusdam, probatissimisque prælati eum accuratissimè legendum, examinandumque tradidimus, & ipsi etiam legimus. Cum igitur eum magno studio, acri iudicio, diuturna cura confectum, & præterea commodissimè digestum esse cognouerimus. Nos saluti animarum consulere, eamque ob causam providere cupientes nè libri, & scripta cuiuscunque generis quæ in eo improbantur, siue vt heretica prauitate suspecta, siue vt pietati, ac morum honestati inutilia, aut aliqua correctione saltem indigentia, posthac à Christianis fidelibus legantur, ipsum Indicem, vna cum regulis ei præpositis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, approbamus, imprimique ac diuulgari, & ab omnibus vniuersitatibus Catholicis, ac quibuscunque alijs vbique suscipi, easque regulas obseruari mandamus, atque decernimus. Inhibentes omnibus, & singulis tam Ecclesiasticis personis secularibus, & regularibus, cuiuscunque gradus, ordinis, & dignitatis sint, quàm laicis quocunque honore, ac dignitate præditis, nè quis contra earum regularum præscriptum, aut ipsius prohibitionem Indicis libros vllos legere, habere, audeat. Si quis autem aduersus eas regulas, prohibitionemque fecerit: is quidem, qui hereticorum libros, vel cuiusuis auctoris scripta propter heresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, habuerit ve, ipso iure in excommunicationis pœnam incidat: eamque ob causam in eum tanquam de heresi suspectum inquiri, & procedi liceat, præter alias pœnas super hoc ab Apostolica sede, sacrisque Canonibus constitutas. Qui autem libros alia de causa prohibitos legerit, habuerit ve, præter peccati mortalis reatum, Episcoporum arbitrio seuerè se noverit puniendum: Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis contrarijs quibuscunque: Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit sede indultum, nè excommunicari possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Vt hæc autem ad omnium notitiam perueniant, neque quis excusatione ignorantis vri possit: volumus, & mandamus, vt hæc literæ per aliquos Curie nostræ Cursores in Basilica Vaticana Principis Apostolorum, & in Ecclesia Lateranensi tunc, cum in eis populus, vt Missarum solennibus interfit, congregari solet, palam, & clara voce recitentur; & postquam recitatae fuerint, ad valuas earum Ecclesiarum, itemque Cancellariæ Apostolicæ, & in loco solito campi Floræ affigantur: ibique vt legi, & omnibus innotescere possint, aliquantisper relinquantur. Cum autem inde amovebuntur, earum exempla in iisdem locis affixa remaneant. Nos enim per recitationem hanc, publicationem, & affixionem omnes, & singulos qui his literis comprehenduntur, post tres menses à die publicationis, & affixionis earum numerandos, volumus perinde astrictos, & obligatos esse, ac si ipsimet illæ editæ, lectæque fuissent. Transumptis quoque earum, quæ manu alicuius publici Notarij scripta, subscriptæ, & sigillo, ac subscriptione alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitæ fuerint, fidem sine vlla dubitatione haberi mandamus, atque decernimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesima quarta Martij, millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, Pontificatus Nostri Anno V.

Ant. Florellus Lauellinus.

CLE-



## CLERICORVM NEFANDI CRIMINIS

reorum pœnæ

Ad hoc etiam habes Leon. 10. const. 11. Supernæ, in Bull. fol. 194. & eiusdem Pij V. const. 5. Cum primum, in Bull. fol. 924.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

**H**ORRENDVM illud scelus, quo pollutæ fœdatæque Ciuitates à tremendo Dei iudicio conflagarunt, acerbissimum nobis dolorem inurit, grauiusque animum nostrum commouet, vt ad illud quantum potest comprimendum, studia nostra conferamus. Sanè Lateranensi Concilio dignoscitur constitutum, vt quicumque Clerici, illa incontinentia quæ contra naturam est, propter quam ira Dei venit in filios diffidentia, deprehensi fuerint laborare, à Clero deiciantur, vel ad agendam in Monasterijs pœnitentiam detrudantur. Verùm nè tanti flagitii contagium, impunitatis spe, quæ maxima peccandi illecebra est, fidentius inualescat, Clericos huius nefarij criminis reos, grauius vlciscendos deliberauimus, vt qui animæ interitum non horrescunt, hos certè deterreat ciuiliū legum vindex gladius secularis. Itaque quod nos iam in ipso Pontificatus nostri principio, hac de re decreuimus, plenius nunc, fortiusque persequi intendentes, omnes & quoscunque Presbyteros, & alios Clericos seculares, & regulares, cuiuscunque gradus, & dignitatis, tam dirum nefas exercentes, omni priuilegio clericali, omni que officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico præsentis Canonis auctoritate priuamus. Ita quod per Iudicem Ecclesiasticum degradati, potestati statim seculari tradantur, qui de eis illud idem capiat supplicium, quod in laicos hoc in exitio deuolutos, legitimis reperitur sanctionibus constitutum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ priuationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo sexagesimo octauo, tertio Kal. Septembris, Pontificatus nostri Anno tertio.

Cæs. Glorierius.

H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo octauo, indictione vndecima, die verò tertie mensis Septembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & D. N. D. Pij Papæ V. Anno tertio, retrospectæ literæ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Antonium Clerici, & Christianum de Monte prælibati Sanctissimi D. N. Papæ Cursores.

Io. Andreas Panizza Magister Curs.



PROHIBITIO IUDICIARIE ASTROLOGIE ARTEM  
exercendi, Incantationes, diuinationes; & fortilegia faciendi, ac libros  
de eis legendi, & tenendi, Ordinariorumque, & Inquisitorum  
facultas, inobedientes coercendi.

Sixtus Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

**C**OELI, & terræ Creator Deus, quem vnum Omnipotentem corde credimus ad iustitiam, & ore confitemur ad salutem, etsi homini, quem ad imaginem, & similitudinem suam creauit, mentem dederit, quæ non solum diuino fidei lumine illustrata, mysteria illa cognosceret, quæ humanam intelligentiam superant, sed etiam naturæ suæ vi, magno licet cum labore, præclara multa inuestigaret, atque intelligeret. Tamen, vt superbum animal homo non altum saperet, sed timeret, & immensam conditoris sui maiestatem, humi stratus veneraretur, sibi soliorum, quæ euentura sunt, scientiam, & futurarum rerum cognitionem reseruauit. Solus enim ipse, cuius oculis omnia nuda, & aperta sunt, & ad intimas hominum cogitationes penetrat, & consequentes eorum actiones intuetur, solus ipse, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, omnia præsentia, & ante oculos posita habet, solus denique omnia, & singula quæcunque totius temporis decursu, & sæculorum ætatibus futura sunt, ab omni æternitate nouit, & admirabili providentia disposuit, quæ non modò humane mentis imbecillitas ignorat, sed nec demones ipsi præsentire possunt. Quare Idolorum in futuris annuntiandis falsitatem, & imbecillitatem, & eorum qui eis cultum adhibebant, vanitatem irridet Spiritus sanctus apud Isaiam illis verbis. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & scimus, quia Dijs estis vos: & in nouo Testamento Christus Dominus discipulorum suorum de futuris euentis paulo cupidius inquirentium, interrogationem graui illa responsione retudit, qua etiam omnium fidelium suorum curiositatem coercuit. Non est vestrum scire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Nec verò ad futuros euentus, & fortuitos casus prænoscentos (futuris euentibus ex naturalibus causis necessariò, vel frequenter prouenientibus, quæ ad diuinationem non pertinent, dumtaxat exceptis) vllæ sunt veræ artes, aut disciplinæ, sed fallaces, & vanæ improborum hominum astutia, & demonum fraudibus introductæ, ex quorum operatione, consilio, vel auxilio omnis diuinatio dimanat, siue quòd expressè ad futura manifestanda inuocentur, siue quòd ipsi prauitate sua, & odio in genus humanum, occultè, etiam præter hominis intentionem se ingerant, & intrudat vanis inquisitionibus futurorum, vt mentes hominum perniciosis vanitatibus, & fallaci contingentium prænuntiatione implicentur, & omni impietatis genere deprauentur. Quæ quidem ipsis cognita sunt, non diuinitate aliqua, nec vera futurarum rerum scientia, sed naturæ subtilioris acumine, & alijs quibusdam modis, quos hominum obtusior intelligentia ignorat. Quamobrem dubitandum non est, in huiusmodi futurorum, contingentium, & fortuitarum euentum inquisitione, & præcognitione, Diaboli operationem se fallaciter immiscere, vt sua fraude, ac dolis, miseros homines à via salutis auertat, & laqueo damnationis inuoluat. Quæ eum ita fiat, nonnulli hæc fideliter, & religiosè, vt debent, non attendentes, sed curiosi sectantes, grauius Deum offendunt, errantes ipsi, & alios in errorem mittentes; tales in primis sunt Astrologi olim Mathematici, Genethliantes, diuinæque dispositionis ordinationem, suo tempore reuelandam præuenire audacissimè satagentes, hominum natiuitates, seu genituras, ex motu syderum, & astrorum cursu metiuntur, ac iudicant futura, siue etiam præsentia, & præterita occulta, atque ex puero rum ortu, & natali die, siue quauis alia temporum, & momentorum vanissima obseruatione, & notatione, de vniuscuiusq; hominis statu, conditione, vitæ cursu, honoribus, diuitijs, sobole, salute, morte, itineribus, certaminibus, inimicitijs, car-

ceribus,



ceribus, cædibus, varijs discrimibus, alijsq; prosperis, & aduersis casibus, & euentibus præcognoscere, iudicare, & affirmare temerè præsumunt, non sine magno periculo erroris, & infidelitatis; cû S. Augustinus præcipuum Ecclesiæ lumen, eum, qui hæc obseruat, qui attendit, qui credit, qui in domum recipit, qui interrogat, Christianam fidem, & baptismum præuaricasse affirmet, vt illos meritò Apostolus arguat, atq; increpet illis verbis: Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos, timeo vobis, nè fortè sine causa laborauerim in vobis. Hi igitur leuissimi, & temerarij homines in miserandam animarum suarum ruinam, graue fidelium scandalum, & Christianæ fidei detrimentum, futuros rerum euentus, & quæcumq; prosperè, vel aduersè obuentura sunt, ac actus humanos; ea deniq; quæ ex libera hominum voluntate proficiscuntur, astris, syderibusq; ascribunt, eisq; eam facultatem, vim, seu virtutem, & efficaciam tribuunt significandi futura; & ad præcognita ita inclinandi, vt sic omnino, nec aliter euentura sint, atq; ob eam causam de ijs rebus omnibus iudicia facere, prognostica, prædictiones, & præcognitiones sibi assumere, & palàm venditare nõ dubitant; quibus non pauci rudes, & imperiti, alijsq; nimis creduli, & imprudentes tantam fidem præstant, vt ex huiusmodi iudiciorum, & prædictionum præscripto, aliquid certo esse credant, aut sperent, quorum sanè, & mendacium magistrorum temeritas, & infelicium discipulorum credulitas magnopere deploranda est, qui vel diuinis literis admoniti non intelligunt hominis præstantiam, cui Cæli, & Stellæ, & clarissima Cæli sidera Sol, & Luna, Deo ita disponente, non imperant, sed inserviunt, sic enim Moyses populum Dei, vt hunc errorem caueret, præmonebat. Nè fortè eleuatis oculis ad Cælum, videas Solem, & Lunam & omnia astra Cæli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub Cælo sunt. Sed quid sydera mirandum est hominem seruire? nonne nobilissima intelligentiæ Angeli ipsi, omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? nam rationales oues, ita diligit Deus, vt non solum Episcopos, quemadmodum à S. Ambrosio scriptum est, ad tuendum gregem ordinauerit, sed etiam Angelos destinauerit. Præclare etiam S. Hieronymus: Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum. Quod si Angeli homines custodiunt, quid aduersus Angelorum custodiam, & tutelam astra moliri, aut efficere poterunt, quæ cum ipsis Angelis nullo modo sunt comparanda? Nec sanè hoc loco prætereunda est, eximij Ecclesiæ Doctores, & Beatissimi Pontificis Magni Gregorij sententia, qui Priscillianistas hæreticos vnumquemque hominem sub constitutionibus stellarum nasci putantes, magno rerum, & verborum pondere confutat. Absit (inquit) à fidelium cordibus, vt aliquid esse fatum dicant, vitam quippe hominum solus hanc conditor, qui creauit administrat; neque enim propter stellas homo, sed stellæ propter homines factæ sunt, etsi stella fatum hominis esse dicitur, ipsis suis ministerijs subesse homo perhibetur. Vtinam insani homines hæc scaperent, & intelligerent, ac Dei monitis obtemperarent in Leuitico dicentis. Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid sciscitemini, vt polluamini per eos: Neque enim quæ Christiana, & vera pietas repellit, ac damnat, tanto studio inuestigarent, iisdemque miserè se decipi, atque irretiri paterentur. Sunt etiam inanes quidam homines, & curiosi, vel impij, & irreligiosi, qui futurarum, & occultarum aliarum rerum notitiam adeo anxie habere student, vt ob eadem prænosceda, & inuestiganda in diuinæ legis offensionem multipliciter incurrant. Alij enim Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, alijsque sortilegijs, & superstitionibus, non sine Dæmonum saltem occultè societate, aut tacita pactione, operam dare, seu illis, ac fortibus illicitis taxillorum, granorum triticeorum, vel fabarum iactu vt non verentur. Alij verò aliquas pristinæ, & antiquitatæ, ac per Crucis victoriam prostratæ Idololatriæ reliquias retinentes, quibusdam augurijs, auspicijs, similibusve



signis, & vanis obseruationibus ad futurorum diuinationem intendunt. Alij item sunt, qui cum morte fœdus ineunt, & pactum faciunt cum Inferno, qui similiter ad occultorum diuinationem ad inueniendos thesauros, vel ad alia facinora perpetranda; etiam expressa cum Diabolo pactione facta, in manifestam suarum perniciem animarum, nefarias magicæ artis incantationes, instrumenta, & veneficia adhibent circulos, & diabolicos characteres describunt, Dæmones inuocant, aut consulunt, ab eis responsa petunt, aut accipiunt: eis preces, & thuris, aut aliarum rerum suffimenta, seu fumigationes, aliæque sacrificia offerunt, candelas accendunt, aut rebus sacris, vel Sacramentis, aut Sacramentalibus sacrilegè abutuntur: adorationis, genuflexionis, aut quæuis alia impietatis obsequia præstant, cultum venerationemve tribuunt, aut annulum, vel speculum, aut paruas phyalas sibi fabricant, aut fabricari curant ad Dæmones in eis alligandos, seu includendos, vt putant, ad responsa ab ipsis inde petenda, aut habenda. Alij præterea etiam in corporibus obfessis, vel lymphaticis, & phanaticis mulieribus Dæmones de futuris, vel occultis rebus, aut factis exquirunt, vt meritò ab eis, quos Dominus in Euangelio tacere imperauit, vanas, mendacesque referant responsiones. Alij quoque prestigiatos, frequentius verò muliercule quædam superstitionibus dedita in phyalis, seu vasculis vitreis aqua plenis, vel in speculo accensis candelis, etiam benedictis sub nomine Angeli Sancti, & albi, Diabolum omnium malorum fatorem supplices adorantes, vel in vnguibus, aut palma manus, quandoque etiam oleo perunctis eundem omnium fallaciarum architectum orant, vt similiter futura, vel occulta quæuis per spectra, & apparentes imagines, seu phantasticas visiones sibi ostendat, aut ab eodem patre mendacij Diabolo alijs incantationibus, aut varijs superstitionis obseruationibus, futurorum, & occultorum huiusmodi veritatem querunt, & hominibus prædicere contendunt. Quorum omnium, quos supra enumerauimus consimilis impietas parem exitum habet, nimirum, quòd Dæmonis prestigij, ac dolis, tum qui diuinant, tum qui diuinationem expetunt illusi, ac delusi miserrimè reperiuntur. Itaque cum futuros euentus in seipsis considerare, antequam fiant, sibi Dei proprium, illud necessariò consequitur, vt Astrologi, & alij prædicti, qui huiusmodi futura prænuntiare, aut prænoscere quocunque modo, nisi Deo reuelante audent: iniuste atque impudenter, quod Dei est sibi assumant, & vsurpent. Sic fit, vt dum ab eis, quod solius est Creatoris perperam creaturis tribuitur, diuina Maiestas grauer lædatur, fidei integritas violetur, & animabus pretioso Christi sanguine redemptis, pestis, atque exitium importetur. Et licet iam pridem regulis indicis librorum prohibitorum ex decreto Sacri Generalis Trid. Conc. confecti, illud inter cætera constitutum fuerit, vt Episcopi diligenter prouiderent, ne huiusmodi Astrologiæ iudiciariæ libri, tractatus, & indices legerentur, vel haberentur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitisve casibus, aut ijs actionibus, quæ ab humana voluntate pendent cerò aliquid euenturum affirmare audent, permissis tamen iudicijs, & naturalibus obseruationibus, quæ navigationis, agriculturæ, siue medicæ artis iuuandæ gratia conscripta fuissent. Libros verò omnes, & scripta Geomantiæ, Hidromantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, siue in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ, prorsus reijci, & aboleri curarent. Non tamen errorum, corruptelarum, delictorum, & abusuum prædictorum extirpationi vsq; adeo prouisum est, quin etiam adhuc in nonnullis locis, & apud plurimos curiosius vigeant, cù valdè frequenter, detectis Diaboli insidijs diuinationum, sortilegiorum, & variarum superstitionum omnia plena esse in dies detegantur. Nos igitur, qui pro nostro pastoralis officij munere fidei integritatem inuiolatam conseruare debemus, & animarum salutis prospicere, quantum diuina gratia adiutrice possumus, ex paternæ charitatis visceribus optamus, damnantes, & reprobantes omne genus diuinationum, quæ Diabolo auctore ad fidelium deceptionem à prædictis curiosis, vel perditis hominibus se-



ri solent. Cupientes præterea Sanctam illam Christianæ Religionis simplicitatem, præsertim ubi agitur de summa Creatoris Dei potestate, sapientia, & prouidentia ab omni erroris labe integram, atque incorruptam, vt par est, retineri: Volentes quoque prædictæ falsæ credulitati, ac huiusmodi illicitarum diuinationum, & superstitionum, detestabili studio, & execrandis flagitijs, atque impuritatibus occurrere, vt de Christiano populo meritò dici possit, quod de antiquo Dei populo scriptum est: Non est augurium in Iacob, neque diuinatione in Israel.

Hac perpetuò valitura constitutione, Apostolica auctoritate statuimus, & mandamus, vt tam contra Astrologos, Mathematicos, & alios quoscunque diuinationis iudiciaræ Astrologiæ artem, præterquam circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam in posterum exercentes, aut facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus, ex humana voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmare audent, etiam si id se non certò affirmare asserant, aut protestentur, quàm contra alios vtriusque sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces, & perniciosas diuinandi artes, huc scientias exercent, profitentur, & docent, aut discunt, aut quive huiusmodi illicitas diuinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, ac præmissa detestanda scelera, & delicta, vt præfertur faciunt, aut in eis se quomodolibet intromittunt, cuiuscùq; dignitatis, gradus, & conditionis existant, tam Episcopi, & Prælati, Superiores, ac alij ordinarij locorum, quàm Inquisitores hæreticæ prauitatis vbiq; genitum deputati, etiam si in plerisque ex his casibus antea non procedebant, aut procedere non valebant diligentius inquirant, & procedere; atque in eos seuerius Canonice pœnis, & alijs eorum animaduertant.

Prohibentes omnes, & singulos libros, opera, & tractatus huiusmodi iudiciaræ Astrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, Artis Magicæ, aut in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles incantationes, ac superstitiones continentur, ac vtsupra in memorato indice interdictos sub censuris, & pœnis in eo contentis à quibuscunque Christianis legibus legi, aut quomodolibet retineri; sed illos Episcopis, & ordinarijs locorum, vel Inquisitoribus prædictis præsentari, & consignari debere.

Et nihilominus eadem auctoritate statuimus, & mandamus, vt contra scienter legentes, aut retinentes libros, & scripta huiusmodi, seu in quibus talia continentur, similiter iidem Inquisitores liberè, & licitè procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire, & coercere possint.

Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Vt autem præsentis nostræ literæ ad communem omnium notitiam facilius deducantur; iubemus illas in Valuis Basilicarum Sancti Iohannis Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ affigi, seu appendi, eisq; detrahis ipsarum exempla, etiam impressa eisdem in locis affixa relinquere.

Et insuper vniuersis, & singulis Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, locorum ordinarijs, & Prælati, necnon Inquisitoribus hæreticæ prauitatis vbiq; constitutis, per hæc committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, vt per se, vel alium, seu alios eisdem præsentis literas, postquam eas receperint, seu earum notitiam habuerint, in suis, & singulis Parochialibus Ecclesijs, dum in eis populi multitudo ad diuina conuenerit, deinde verò semel in anno, & quoties eis expedire videbitur, vulgari sermone publicent, aut publicari faciant.

Quia verò difficile foret præsentis literas ad singula quæque loca, in quibus de eis fides facienda erit deferri. Volumus, vt earum transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac paruo sigillo Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis, aut alicuius Prælati, vel Curie Ecclesiasticæ munitis, eadè prorsus fides



in iudicio, & extra ubiq; locorum adhibeatur, quæ eisdem originalibus literis adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statutorum, mandatorum, prohibitionis, iussionis, commissio- nis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc at- tentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis. 1585. Nonis Janu. Pontificatus Nostri Anno primo.

H. Prodat.

Io. Baptista Canobius.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo octuagesimo sexto. Indi- ctione prima, die verò 9. mensis Ianuarij, Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Sixti diuina prouidentia Papæ V. Anno primo, Retroscriptæ literæ Apostolicæ, affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt in valuis, seu portis S. Iohannis Lateranensis, & Sancti Petri Principis Apostolorû de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & acri Campi Floræ, & per aliquod temporis spatium dimissæ per nos Io. Freile, & Nico- laum Tagliettum, S. D. N. Papæ Cursores.

Alex. Parabiathus Mag. Cusorum.

DE ELECTIONIBVS AD REGIMINA  
Monasteriorum, Præpositurarum, & aliarum digni-  
tatum Conuentualium.

Sanctissimus in Christo pater, & Dominus noster Dominus Pius diuina  
prouidentia Papa Quartus.

**A**D cuius peruenit notitiam, quod licet aliàs omnia monasteria virorum, & valorem ducentorum florenorum auri communi æstimatione excedentia, necnon prioratus, præposituras, ac alias dignitates Conuentuales, & præce- ptorias generales, ordinum quorumcunque, dispositioni suæ generaliter referua- uerit, ac propterea illorum prouisiones, & ad ea quæ speciali priuilegio eligendi sibi per Sedem Apostolicam concessa suffulta sunt. Canonice factarum electionum confirmationes, ad Sanctitatem suam, & dictam Sedem pertinere noscantur: nihilominus plerique Religiosi cæca nimis ambitione agitati, partim electiones de suis personis ad monasteria, prioratus & alias dignitates conuentuales huiusmodi, vel priuilegium eligendi prædictum habeant, vel illo careant, nullo iuris ordine serua- to, nullaque boni, vel æqui ratione habita, temerè fieri, factasque per ordinum su- periores, aut locorum ordinarios de facto confirmari, partim verò nedum prius- quam electiones de se ad monasteria, & alias conuentuales dignitates eligendi pri- uilegio suffulta factæ, ritè confirmantur: sed ne electi quidem Canonice, se in regi- mine, & administratione tam in spiritualibus, quam temporalibus monasteriorum, aliarumque dignitatum vacantium eorundem, ac illorum bonorum immiscere nou- verentur, in animarum suarum periculum, auctoritatis Apostolicæ contemptum, & plurimorum scandalum: Volens tantis qui paulatim in religiosos irrepleverunt, vrbibus, & abusibus nimis licentiosis aliquâdo, sicut par est, occurrere, suamque Sedis præfatæ prærogatiuam asserere, Omnes & singulas electiones quarumuis persona- rum ad regimina monasteriorum, prioratum, præpositurarum, & aliarum digni- tatum conuentualium, ipsarumque electionum confirmationes per quoscunque curasuis status, gradus, ordinis, & conditionis existant, & quamuis etiam Archiepi-

scopalis,



scopali, Patriarchali, aut maiori præfulgeant dignitate hætenus sic præsumptas, nullas & inualidas, ac pro nullis inualidis, & prorsus infectis habendas esse, personasque sic vt præfertur electas, & confirmatas, monasteria, aliasq; dignitates huiusmodi sine legitimo titulo possedisse, & possidere, Necnon illorum fructus, redditus & prouentus indebitè percepisse & percipere. Ac personas ipsas ad absolutionem, & habilitationem super his, necnon confirmationem electionum de se factarum à Sanctitate sua, seu Romano Pontifice pro tempore existente, aut Sede prædicta, infra sex menses à data præsentium computandos impetrandum, ac literas Apostolicas super huiusmodi confirmatione in totum expedien. omnino teneri declarauit. Et nihilominus hac sua perpetuò valitura constitutione statuit, & ordinauit, quòd nullus de cetero se in regimine, & administratione monasterij, vel alterius dignitatis conuentualis, ad quod seu quam illum eligi contigerit in spiritualibus, vel temporalibus antequam ritè celebrata electio à sanctitate sua, aut Romano Pontifice pro tempore existente, & Sede prædicta confirmata, & literæ Apostolicæ desuper expeditæ fuerint, per se, vel alium in toto, vel in parte, quouis quæsito colore immiscere, aut ad illud, vel illam se recipi facere, vel aliàs se pro eius Prælato gerere præsumant. Decernens omnes, & singulos qui secus fecerint, iure si quod illis ad Monasteria, vel eorum regimina, & administrationes, ac alias conuentuales dignitates per electionem huiusmodi quæsitum fuerit, eo ipso priuatos, & deinceps ibi ineligibiles esse, ipsaq; Monasteria, & alias dignitates ab eadem Sede impetrari posse; qui verò similes electiones confirmare præsumperit, etiam eo ipso Superiores ordinum videlicet suis dignitatibus priuatos; Ordinarios autem locorum etiã si Archiepiscopali, & maiori præcellant dignitate, ingressum Ecclesiæ interdictum, eosque ad Ecclesiarum suarum regimine & administratione suspensos existere.

Placet publicetur & describatur I.

Lectæ & publicata fuit suprascripta Regula Romæ, in Cancellaria Apostolica, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, Die verò Martis vltima mensis Octobris, Pontificatus præfati Sanctissimi Domini nostri Papæ anno quinto.

Ant. Lomellinus Custos.

CONSTITVTIO S. D. N. PII PAPÆ QVINTI  
per Dominos Medicos obseruanda.

Pius Papa V. Ad perpetuam rei memoriam.

**S**Vpra Gregem Dominicum nostræ vigiliæ diuinitus creditum, vigilijs speculatoris, prout nobis desuper conceditur, exercentes officium, ad ea per quæ Animarum saluti cum diuini nominis gloria consui valeat, libenter intendimus, vt Christifideles post Baptismum in peccata lapsi, per Sacramentum pœnitentiæ Deo reconcilientur. Sanè cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proueniat, dicente Domino, languido, quem sanauerat, vade noli amplius peccare, nè quid deterius tibi contingat, ac propterea prouidè sel. recor. Innoc. III. prædecessor noster Medicis præceperit, vt cum eos ad ægrotos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, vt animarum Medicos vocent, nè cum eis hoc in extrema ægritudine constitutis suadetur, in desperationis articulum incidant. Nos igitur volentes hoc tam salutare præceptum nulla temporis præscriptione aboleri, sed semper obseruari, constitutionem præfatam auctoritate Apostolica tenore præsentium innouamus, & hac nostra in perpetuum valitura constitutione statuimus, & decernimus, quòd omnes Medici cum ad infirmos in lecto iacentes vocati

Eee 3 fuerint,



fuerint, ipsos ante omnia moueant, vt idoneo confessori omnia peccata sua, iuxta  
 ritum S. R. E. confiteantur, neque tertio die vltius eos visitent, nisi longius tem-  
 pus infirmo confessor ob aliquam rationabilem causam, super quo eius conscientia  
 oneramus, concesserit, & eis per fidem confessoris in scriptis factam constiterit,  
 quod infirmi, vt pramittitur, peccata sua confessi fuerint. Cōiunctos vero, ac omnes  
 familiares, & domesticos infirmi in Domino rogamus, & monemus, vt de infirmita-  
 te Parochum certiorē faciant, & tam Parochus, quā coniuñcti, & familiares prae-  
 ti infirmum ad confessionem peccatorum suadeant, & inducant. Quod si qui Me-  
 dicorum pramissa non obseruauerint, vltra pœnas in dicta constitutione contentas,  
 quas incurrere declaramus, perpetuū sint infames & gradu medicinae, quo insigni-  
 ti erant, omnino priuentur, & à Collegio seu vniuersitate Medicorum eiiciantur,  
 ac pœna etiam pecuniaria arbitrio ordinariorum, vbi deliquerint, mulctentur. Et  
 vt hæc omnia inuolabiliter obseruentur, volumus, & eadem auctoritate præcipi-  
 mus, & mandamus, vt nullus posthac vbique locorum in Medicina Doctoretur, aut  
 ei quomodolibet medendi facultas à quouis Collegio, & vniuersitate concedatur,  
 nisi omnia in præsentī nostra constitutione contenta, medio eorum iuramento cor-  
 ram Notario publico, & Testibus obseruare in eorum manibus, vel ordinarij iura-  
 uerint, & de huiusmodi iuramento in priuilegio, seu licentia medendi specialis  
 mentio fiat. Quod si Collegia, & Vniuersitates præfatæ non recepto à promouen-  
 dis iuramento huiusmodi, eosdem ad gradum prædictum promouerint, aut eisdem  
 medendi licentiam præstiterint, pœnam priuationis facultatis alios vltius do-  
 ctorandi incurrant. Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis  
 Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis,  
 quatenus in Ciuitatibus, & Diocœsibus proprijs præsentēs nostras literas publica-  
 ri faciant, ac iuramentum prædictum à Medicis iam promotis, seu licentiam meden-  
 di habentibus, omnibus iuris remedijs exigant, neque aliquos ad medendum in Ci-  
 uitatibus, & Diocœsibus prædictis admittant, nisi eis constiterit eosdem iuramen-  
 tum huiusmodi præstitisse, & contumaces, & iurare, ac iuramentum huiusmodi iam  
 præstitum exhibere recusantes, gradu Medicinae, & omnibus priuilegijs eisdem Me-  
 dicis, tam coniuñctim, quā diuisim eis, & eorum cuiuslibet concessis, per quosuis  
 etiā Romanos Pontifices priuent, ac ab ingressu Ecclesiæ arceant, donec resipuerint.  
 Nō obstantibus præmissis, priuilegijs, indultis, literis Apostolicis quibusuis perso-  
 nis Collegio, & Vniuersitati, sub quibusuis verborum formis, & tenoribus cōcessis.  
 Quæ omnia, quod ad effectum validitatis constitutionis nostræ tantum reuocamus,  
 cassamus, & annullamus, & omnes Principes, seculares ac alios Dominos, & Magi-  
 stratus temporales rogamus, requirimus, & obsecramus per viscera Misericordiæ  
 Iesu Christi eisdem in remissionem peccatorum nihilominus iniungentes, quod in  
 præmissis omnibus eisdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis as-  
 sistant, & suum fauorem, & auxilium præstent, ac contrafacientes pœnis etiam tem-  
 poralibus afficiant. Volumus autem quod præsentēs literæ in Cancellaria, & acie  
 Campi Floræ publicentur, & inter constitutiones extrauagantes perpetuū valitu-  
 ras conscribantur: & quia difficile foret præsentēs ad singula quæque loca deferri.  
 Volumus, & etiam declaramus, quod earum transumptis etiam impressis manu ali-  
 cuius Notarij subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorsus fides  
 vbicunque adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si foret exhibitæ, vel ostensæ.  
 Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris. Die VII. Martij.  
 M. D. LXVI. Pontificatus nostri Anno primo.

Cg. Glorierius.



REGVLARES CVIVSCVNQVE ORDINIS, ETIAM  
Mendicantes, Lectores, aut in Theologia graduati, non possint seclarium  
confessiones audire, nisi fuerint ab Ordinarijs approbati.

Ad hoc vid. Conc. Trid. Sess. 23. cap. 15. de reformatio. & Greg. XIII.  
constitut. 15. In tanta.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam  
rei memoriam.

**R**Omani Pontificis prouidentia circumspecta nonnunquam gesta per eum rationabilibus, & honestis suadentibus causis moderatur, & comutatur in melius, prout in Domino conspicitur salubriter expedire. Nuper siquidem quasdam declarationes, & moderationes circa nonnulla Conc. Trident. decreta regulares personas ordinum Mendicantium eorumque instituta concernentia edidimus, & promulgauimus. Et quia vti accepimus illarum vigore Sacerdotes regulares predictorum ordinum quandoque minus idonei, & inhabiles confessionibus seclarium audiendis ab eorum superioribus prepositi absque aliqua Episcoporum, sed sola Magistri Ordinis Generalis, aut Prouincialium ministrorum approbatione admittuntur. Nos super his pro debito pastoralis officij, prout tenemur, salubriter providere volentes, tenore presentium hac nostra constitutione perpetua sancimus, decernimus, & declaramus, decretum Concilij Tridentini de approbatione Regularium de audiendis confessionibus seclarium prepositorum ab Episcopis facienda obseruari debere, etiam in omnibus Regularibus, quorumuis Ordinum etiam Mendicantium, etiam sub regulari disciplina viuentibus, etiam si sint lectores, aut in Theologia etiam de superiorum suorum licetia, graduati, vel promoti vel a suis Magistris Generalibus, vel Prouincialibus, Ministris seclarium confessionibus audiendis expositi. Volumus tamen eos qui semel ab Episcopo in Ciuitate & Diocesis suis prauo examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari. Ab Episcopo autem successore pro maiori conscientia sua quiete examinari de nouo poterunt. Inhibentes quibuscunque Regularibus quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium vt prefertur, ne vigore deputationis, & approbationis ab eisdem Magistris, & Ministris Prouincialibus, etiam quod illarum occasione ab Ordinarijs huc vsque tolerati fuerint, absque speciali in posterum licentia, & approbatione ab Ordinarijs obtinenda seclarium confessiones audire presument, Decernentes irritum, & inane si secus super his a quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac nostris literis predictis, & aliis postea quibuscunque regularibus concessis, & forsan extensis, quas quod ad ea quae presentibus aduersantur & contrariantur, penitus, & omnino reuocamus, cassamus, & irritamus: necnon Monasteriorum, & aliorum regularium locorum, ac ordinum quorumcunque, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam Magni, seu bulla aurea, aut alijs nuncupatis, quibusuis Monasterijs, & regularibus locis, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatorijs derogatorijs, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus & alijs decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, aut alijs quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis: quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quauis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma seruanda esset, teno-



res huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso & forma in illis tradita obseruata inserti forent, presentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permāsuris, hac vice dūtaxat specialiter & expressè derogamus, contrarijs nō obstantibus quibuscunq;. Vt autē presentes literæ ad omnium quorū interest notitiam deducantur, nec aliquis earum ignorantiam prætere, aut contra eas se excusare valeat, dicta auctoritate statuimus, & decernimus, vt ipsæ literæ, vel earum transumptum in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe, sancti Iohannis Lateranensis, ac Cancellariæ Apostolicæ valuis, ac in acie Campi Floræ per aliquos ex Cursoribus nostris publicentur, earum exemplo in singulis valuis, & acie prædictis affixo & dimisso. Verū quia difficilè foret presentes literas ad singula quæque loca in quibus de eis fides faciendā erit deferri, volumus & dicta auctoritate decernimus, quod earundem literarum transumptis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, & extra illud, quæ eisdem presentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnind hominum liceat hanc paginam nostræ sanctionis, decreti, declarationis inhibitionis, reuocationis, cassationis, irritationis, statuti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo primo, octauo idib. Augusti, Pontificatus nostri anno sexto.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo primo, Indictione decimaquarta, Die verò vigesima secunda mensis Augusti, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Pij diuina providentia Papæ quinti anno eius sexto, Retroscriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in locis retrospectis, per nos Iohannem Guerardum, & Alamanum de Alamanis Cursores.

Philibertus Chapius Magister Curforum.

**REDUCTIO CONSTITUTIONVM A PIO V. PRO**  
Mendicantibus, & alijs regularibus contra locorum Ordinarios, & c. editarum, ad terminos iuris, & Concilij Tridentini.

Has Constitutiones habes, inter constit. d. Pij V. num. 38. & si Mendicantium. fol. 982. & 36. Ad exequendum. fol. 999. & 140. Ad hoc nos decus. fol. 1135.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

**I**N tanta rerum, & negotiorum mole, qua Rom. Pont. ex omnibus mundi partibus assidue præmitur, vix vitari potest, nè aliqua interdum exiliant, quibus postea recognitis necesse est moderationis remedium adhibere. Cum itaque alia fel. rec. Pius Papa V. prædecessor noster, auditis grauaminibus, quæ fratribus Ordinum Mendicantium ab Ordinarijs locorum, & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, multis modis inferri dicebantur, super sacris concionibus, & lectionibus ha-

bendis



bendis, confessionibus audiendis, pœnitentijs iniungendis, fratribus ad ordines promouendis, celebratione Missarum, cura animarum, Sacramentorum ministratio-  
 ne, sepulturis, quarta funeralium, legatis, donationibus, eleemosynis, collectionibus, alijsque huiusmodi iuribus, necnon decimis, & diuersis oneribus, ac etiam super statu, & regimine sanctimonialium ipsis fratribus subiectarum, formationem processuum, censurarum publicatione, processibus, præcedentia, locorum acquisitione, certisque alijs rebus tunc expressis, multa per quasdam suas literas predictis fratribus non modò statuerit, sed & quæ iam in Concilio Tridentino decreta fuerant ad hæc pertinentia declarauerit, multaque præterea priuilegia eisdem decimo septimo Kalen. Iunij, Pontificatus sui anno secundo. Et deinde ea omnia diuersis alijs ordinibus, & Congregationibus Regularium non Mendicantiũ, etiam per modum communicationis, concefferit: Postea per quandam suam constitutionem de Vicarijs perpetuis in Parochialibus Ecclesijs vnitis per ordinarios locorũ instituendis, & portione illarum Vicarijs assignanda editam, alia super constitutione Fratrum eorundem ad exercitium curæ animarum in eis Parochialibus Ecclesijs quæ domibus, & locis suis vnita sunt, decreuerit: Demum animaduerso quod ea omnia multis dubitationibus inuoluta, magnisque difficultatibus obstructa multas magnasque dissensiones, altercationes, & lites inter prædictos locorum Ordinarios, & fratrum ipsorum ordines, non sine graui diuini cultus, & animarum detrimento, ac populorum scandalo concitauerant, contra ac ipse sperabat, & præter suam expectationem, vt qui interdum conquereretur multa aliter alioque sensu à se prolata fuisse, quàm literis expressa essent: Cupiens his mederi incommodis primũ illa omnia quæ Regularibus aliorum ordinum, quàm Mendicantium communicauerat, & secundum præmissa cõcesserat, motu proprio restrinxerit. Deinde plenius providere volens, prioribus literis à se quò ad ipsos Mendicantes magna in parte moderatis, omnes, & quascunq; alijs literas, quæ de alijs ordinibus, & Congregationibus extra Mendicantium ordines de obseruantia nuncupatos emanauerant, omnino aboleuerit, causas omnes iam de is etiam in Romana Curia pendentes ad se aduocando, lites extinguendo, ac formatos super illis processus latasque sententias annullando, quemadmodum alijs suis literis in registro proximè compertis, nunquam tamen publicatis, plenius continetur: Postremò circa confessoriorum regularium etiam Mendicantium approbationem iuxta Concilii prædicti decretum faciendam, etiam lectores in Theologia graduatos, & certos alios tunc expressos comprehendere debere declarauerit. Nos hac tanta varietate cognita, quæ etiam ex multiplici literarum, & constitutionum editione procedi, præsentibus & futuris discriminibus occurrere volentes, De nobis attributæ potestatis plenitudine statuimus, & ordinamus de prædictis, & alijs omnibus literis, & constitutionibus, quæ ab eodem prædecessore eisdem de rebus pro quoruncunque regularium, etiam Mendicantium Ordinibus, & Congregationibus quomodolibet emanarunt, ac omnibus, & quibuscunq; in eis contentis, eam deinceps dispositionem atque decisionem pro subiecta materia futuram esse, quæ siue ex iure veteri, siue ex sacris dicti Concilii decretis, siue alijs legitimè ante dictarum literarum, & constitutionum editionem erat, etsi ipsæ non emanassent futura fuisset, ad quam dispositionem, & decisionem, suumque pristinum, & integrum statum, ac terminum illa omnia reducimus. Quin etiam tollimus, & abrogamus omnia irritantia, & alia decreta, necnon prohibitiones, declarationes, mandata, & quæcunque alia ipsis literis, & constitutionibus apposita, & alijs eorum occasione vel causa factis, his nostris statuto, ordinationi, & reductioni aduersantia, quibuscunque illa sint concepta formulis, ac præseruationibus, declarationibus, modificationibus, restitutionibus, mentis attestationibus, derogatorijs derogatorijs, alijsque fortissimis, efficacissimis, & inuolabilibus clausulis, etiam motu & potestatis plenitudine similibus, & ex certa scientia, etiam pro conferuatione status regularis, & ex quibuscunque alijs vrgen-



tissimis causis quoriefcunq; roborata. Decernentes illa omnia pro nullis, & infectis haberi, omnesq; supradictos illarum usu, commodo, & effectu carere. Ac omnes lites, & controuersias, quæ coram quibusuis iudicibus siue ordinarijs, siue commissarijs, etiam causarum Palatii Apostolici Auditoribus, & S. R. E. Cardinalibus, etiam de latere Legatis prædictarum literarum, & constitutionum occasione super præmissis iam motæ sunt, necdum decisæ, aut finitæ, vel etiam quæ iam decisæ sunt, si modò tractum habeat successiuum, easq; rursus, & inter quoscunq; excitari in posterum contingat, secundum prædictam dispositionem, nec aliter decidendas: Futura verò dubia, & difficultates quandocunq; & vbiq; orientur, ad nos & Sedem Apostolicam vbi & cætera quæ ad decreta dicti Concilij pertinent, quotidie declarantur, omnino referenda esse; Necnon irritum & inane quicquid secus super his per quoscunq; scienter vel ignoranter contigerit attentari. Mandamus itaq; in virtute sanctæ obedientiæ præsentibus ab omnibus vbiq; Episcopis, & locorum ordinarijs, necnon Ecclesiarum Prælatibus, Rectoribus, fratribusq; prædictis ac cæteris, ad quos pertinet, semper inuiolata obseruari. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Conuentuum, domorum, locorum, & ordinum quorumcunq; iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam Maremagnum, & Bulla aurea nuncupatis, dictis Ecclesijs ordinibus, & congregationibus quomodolibet concessis, & confirmatis: quibus omnibus, etiam si de illis eorumq; totis tenoribus specialis, expressa, indiuidua, & ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alijs in suo robore permanens hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, ceterisq; contrarijs quibuscunq;. Vt autem præsentibus omnibus plenius innotescant, volumus earum exempla fieri, & etiam imprimi, illisq; Notarij publici manu, & Curie Ecclesiasticæ, vel Prælati, aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo obfignatis, eandem illam prorsus fidem in iudicio, & extra illud vbiq; locorum adhiberi, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominõ liceat hanc paginam nostræ ordinationis, statuti, reductionis, ablationis, abrogationis, decreti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, Kalend. Martij. Pontificatus Nostri Anno primo.

Cæ. Glorierius

M. Datarius.

A. de Alexis.

Registrata apud Cæsarem Secretarium.

Anno à Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi, millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, Indictione prima, die verò vigesima tertia mensis Martij, Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Domini Gregorij diuina providentia Papæ XIII. Anno primo, Retroscriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicarum Principis Apostolorum, & Sancti Iohannis Lateranensis de Vrbe, &

Can-



Cancelariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Iohannem de Soya, & Marcum Antonium Brutum, eiusdem S. D. N. Papæ Cursores.

Antonius Ludouicus Magister Curforum.

REVOCATIO LICENTIARVM QVIBVSCVNQVE  
mulieribus concessarum, ingrediendi Monasteria & loca, quorum-  
cunque ordinum Regularium.

Ad hoc etiam habes eiusdem Pij V. constit. 8. Circa in Bull. fol. 930. & Grego.  
XII I. Vbi gratiæ constit. 36. & Concil. Trident. Sess. 25.  
cap. 5. de regul. & Mon.

Pius Papa V. Ad perpetuam rei memoriam.

**R**egularium personarum, quæ relicto sæculo, Dei se obsequio dedicarunt, pro  
comisso nobis officio, quieti consulere cupientes, ad ea remouenda, quæ reli-  
giosum earum propositum impediri possunt, curam nostram libenter intendimus,  
vt nulla re, quæ eas à diuino cultu auocet, præpeditæ secundum ordinum suorum  
regularia instituta, & decretum sacri Tridentini Concilij, tranquillæ mentibus gra-  
tum altissimo impendere possint famulatum. Quia igitur, & Carthusiensium ordi-  
nis, & aliorum regularem vitam professorum quies non parum solet, sicut accepi-  
mus, perturbari, propterea quod mulieres modestiæ matronalis oblitæ, domos, ac  
monasteria eorum, contra ipsorum instituta, prætextu confessionalium, aut aliarum  
literarum Apostolicarum ingredi audeant, ipsis etiam Abbatibus, Præpositis, Prio-  
ribus, & alijs Præfidentibus aliquando reculantibus, & renitentibus, non sine ma-  
gna eorum molestia, nec sine graui laicorum etiam offensione, ac scandalo, si quan-  
do admitti nimis facilè videantur: huic rei providere volentes Motu proprio, & ex  
certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulas faculta-  
tes, ac licentias ingrediendi monasteria, ac domos Carthusiensium, & aliorum quo-  
rumcunque regularium ordinum, etiam Mendicantium, mulieribus, cuiuscunque  
status, gradus, ordinis, conditionis, & quacunque dignitate, ac præ eminentia prædi-  
tis, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, sub quibuscunque verborum tenori-  
bus, & formis, & cum quibuscunque etiam derogatoriis derogatorijs, alijsque  
fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, Necnon irritantibus decretis ab  
Apost. Sede quomodocunque concessas, quorum tenores perinde, ac si de verbo ad  
verbum præsentibus infererentur, haberi volumus pro expressis, tenore præsentium  
reuocamus, & cassas, irritas, & inanes esse decernimus; Districtè prohibentes mu-  
lieribus quidem prædictas facultates, & licentias prætentibus, sub excommu-  
nicationis læ sententiæ pœna, postquam harum literarum notitiam habuerint, à  
qua non possint nisi à nobis, aut à Romano Pontifice, qui pro tempore fuerit, absol-  
ui, præterquam in mortis articulo: nè dictas domos, & Monasteria ingredi audeant.  
Ipsis verò Monasteriorum, & Conuentuum Abbatibus, Præpositis, Prioribus, & alijs  
Præfidentibus quocunque nomine vocentur: & eorum Monachis, Canonicis, &  
Fratribus, siue Mendicantibus, siue non Mendicantibus, sub priuationis officiorum,  
quæ in præsentia obtinent, & inhabilitatis in posterum ad illa, & alia omnia, & su-  
spensionis à diuinis, ipso facto, sine alia declaratione, incurrendis pœnis, nè eas in-  
troducere, admittere ve præsumant. Non obstantibus præmissis, ac constitutioni-  
bus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus  
autem, & mandamus: vt hæc literæ ad valvas Basilicæ Beati Petri Apostolorum Prin-  
cipis, & in Cancellaria nostra, atque in acie Campi Floræ de more publicentur.  
Quia verò difficile foret has literas ad omnia loca deferri: volumus, & declaramus



vt earum exemplis, & tranſumptis manuſcriptis, vel impreſſis, & manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius Prælati munitis, par vbique fides habeatur, ac ſi præſentes exhibitæ eſſent, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 23. Octobris milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, Pontificatus noſtri anno primo.

Ant. Florebellus Lauellinus.

Anno à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, Indictione nona, die vigintiſimo octaua menſis Octobris, Pontificatus S. D. N. Pij Papæ V. Anno primo ſupraſcriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in locis ſupraſcriptis, per nos Bernardinum Andreutium, & Iohannem Andream Rogerium Apoſtolicos Curſores.

Philibertus Chapius Magiſter Curſorum.

**CONSTITVTIO DE FORMA FACIENDI PROCESSVS,  
& Inquiſitiones ex præcepto Concilij Tridentini.**

Super promouendis ad regimina Eccleſiarum Cathedralium, & aliarum Superiorum, ſeu Monaſteriorum, atque ad cæteras dignitates de quibus in Conſiſtorio prouidetur.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

**O**Nus Apoſtolicæ ſeruitutis, ad quod nuper nos dignatio diuina prouexit, aſſiduè admonet, in eam potiſſimum curam nobis eſſe paſtorali ſollicitudine incumbendum, vt quæ à ſacris œcuminicisq̄ Concilijs pro communi totius Chriſtiani populi ſalute pie prudenterq̄ ſtatuta ſunt, nulla aut temeritate violentur, aut negligentia deſerantur; ea præſertim, quæ ad bonos idoneosq̄ paſtores Cathedralibus, ac Superioribus Eccleſijs gubernandis præficiendos pertinent, nam ſi in quibusuis Eccleſiæ gradibus, & miniſtris curandum eſt tales eligi, qui Religionis, & ſanctitatis fideles ædificent, multò certè magis elaborandum eſt, nè in eius electione erretur, qui ſupra omnes gradus conſtituitur, cui tanquam ſeruo fideli & prudenti totius familiæ cura traditur, qui ad omnem virtutem, & mandatorum Dei obſeruantiam aliorum forma eſſe debet; cum certum ſit gregis ſalutem magnopere pendere ex boni paſtoris præſtanti vita, & doctrina. Sanè venerabiles patres, qui ex toto terrarum Orbe ad ſacrum generale Tridentinum Concilium à Summis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris euocati magna frequentia conuenerunt, cum in alijs rebus multis præclarum ſtudium ad corrigendos deprauatos mores, & collapsam Eccleſiaſticam diſciplinam reſtituendam oſtenderunt, tum in eo potiſſimum inſigni zelo magnaq̄ cum laude laborarunt, vt rationem inuenirent, qua viri doctrina pierate prudentiaq̄ excellentes, & in Eccleſiaſticis functionibus diu multumq̄ verſati, Eccleſijs Cathedralibus præficerentur. Nos igitur, qui cū in minoribus conſtituti Cremonenſem Eccleſiam regeremus, in eodem Concilio cum ſanctis, & egregijs illis Patribus interfuimus, & Concilio abſoluto ad Eccleſiam noſtram reuerſi magno ſemper deſiderio flagrauimus, vt tam ſalubria generalis Concilij decreta executioni debitæ mandarentur, atque, vt id fieret pro vitæ parte curauimus; Multò nunc magis, cum diſponente Domino omnium Eccleſiarum

cura



cura, & sollicitudo nos præmit, summo desiderio tenemur, vt Pastores ij præficiantur Ecclesijs, qui opus suum, & ministerium impleant, & de ouium salute nos in Domino lætificent. Illud autem in hoc saluberrimo, & pernecessario negotio, quod est de Episcopis eligendis, & præficiendis videtur esse præcipuum, vt instructio, examen, & inquisitio de fide, vita, moribus, doctrina, & prudentia promouendorum tam accuratè, fideliter, ac seriò instituat, vt omnis fallaciæ fucus semoto, certò eonfidere valeamus, tales à nobis Christi gregi pascendo esse præpositos, quales tantum onus, Angelicis videlicet humeris formidandum, exigit, & quales ille expetit, qui pro iisdem ouibus redimendis propriæ vitæ, ac sanguine non pepercit. Et quidem in hac parte prouidentia dicti Concilii Tridentini minimè defuit, cum statuerit, ac mandauerit, vt in Prouinciali Synodo per Metropolitanum habenda præscriberetur quibusque locis, & Prouincijs, propria examinis, seu inquisitionis, aut instructionis faciendæ forma Roman. Pontificis arbitrio approbanda, quæ magis eisdem locis utilis atque opportuna esse videretur. Verùm neque id hætenus nisi à paucissimis factum est, neque spes est nisi longissimo temporis spatio, vt ab omnibus fiat, atque interim, dum certa examinis siue inquisitionis ratio à Prouincialibus Concilijs expectatur, perit vber ille fructus, qui ex tam virilibus Concilii generalis decretis sperari posse videbatur; & experientia ipsa docuit per tot annos à publicatione Concilij prædicti elapsos, quid in vnaquaque Prouincia opus sit, quid ve possit fieri. Habita igitur cum venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, matura deliberatione, ac de eorum vnanimi consilio, & assensu, præfenti nostra perpetuò valitura constitutione decernimus, vt cum extra Roman. Curiam examen, instructio, siue inquisitio faciendæ erit, nemo omnino cuiuscunque status, gradus, conditionisve fuerit inquisitionem prædictam sibi arrogare præsumat, sed integrum hoc negotium iis, qui à prædicto Tridentino Concilio designantur, Apostolicæ, videlicet, sedis legatis, seu Nuncijs Prouinciarum, aut eius de quo inquisitio fit, Ordinario, eoque deficiente Ordinarijs vicinioribus relinquatur, nisi iustis de causis nobis, aut pro tempore existenti Roman. Pontifici per speciale mandatum alicui alteri hoc munus quandoque committendum esse visum fuerit. Quòd si fortè aliquis prædictorum consanguinitate, aut affinitate vsque ad tertium gradum inclusiuè promouendum contingeret, vt omnis suspicio carnalis affectus à tam sancto negotio repellatur, ille quidem eo casu censeatur exclusus, atque ad eum, qui proximè sequitur hoc est, si Legatus excludendus erit, ad Nuncium, si Nuncius ad Ordinarium, si Ordinarius ad viciniorum Ordinarium inquisitionis officium deferatur. In Curia verò hæc functio spectet vel ad eos Cardinales, qui à nobis, vel pro tempore existente Roman. Pontifice deligentur, vel ad Cardinales earum Prouinciarum, seu Regnorum apud nos, & Sedem Apostolicam Protectores, in quibus Ecclesiæ ipsæ consistunt, si tamen ad ipsos huiusmodi vacantium Ecclesiarum relatio pertinebit. Quod si de Episcopo vel Metropolitanò extra Roman. Curiam degentem ab vna Ecclesia ad aliam ex aliqua graui & iusta causa transferendo ageretur, hoc munus deficientibus Legato, vel Nuncio Apostolico eius Prouinciæ, aut Regni vbi Ecclesia ipsa à qua trāsferretur sita erit, ad Metropolitanum, si Episcopus, ad suffraganeum verò antiquiorem residentem, si Metropolitanus transferendus erit pertinere declaramus. Deinde, quia sacrum Tridentinum Concilium non sine magna ratione eminentes personas, & quæ negotij magnitudinem probè intelligerent, ad hoc officium nominauit. Declaramus, & statuimus tam Legatos, siue Nuncios, quam Ordinarios, vel alios ab hac Sancta Sede fortè delegandos non per Auditores, aut Vicarios, aliosve Ministros, sed per se ipsos inquirendi munus exercere debere; quamuis ab huiusmodi personis alijsque viris peritis adiuuari possint. Et si Prælati inquirens per se non posset ob locorum distantiam testes examinare circa articulum aliquem, vt legitimos natales, vel ætatem, aut aliquid eiusmodi, licebit, ei articulum illum alteri personæ in dignitate Ecclesiastica cõiti



tutæ subdelegare, non autem vniuersam inquisitionem. Quòd si fortè contingat, aliquem supradictorum legitime impediri, vt per se hoc munus præstare non possit, ad alios ea cura transferetur, qui sunt ab eodem Concilio Tridentino ad hoc officium designati, vtsupra dictum est, de ijs qui ob consanguinitatem, vel affinitatem ab hoc munere excluduntur. Ad hæc, vt mens eiusdem sacri Concilij rectè, ac fideliter debeat executioni mandetur, & tale sit examen, quale requiritur in negotio tanti ponderis, declaramus, ac statuimus, non esse in vita, ac doctrina promouendi inuestiganda eam rationem adhibendam, vt ab ipso promouendo articuli offerantur, ac testes producantur, sed oportere, vt prælatus, qui munus inquirendi suscepit, articulos conscribat, atq; ipse ex officio suo illos testes vocet, atq; examinet, quos de rebus inquirendis sincerum, ac fidele testimonium daturus esse existimet. Verùm, vt inquisitio prædicta facilius, ac plenius perfici, atq; expediri queat, vtile erit, si Prælatus, qui inquisitionem facturus est, vel à promouendo, vel ab alio aliquo confici curat schedulam, in qua sint ordine descripta nomen promouendi, cognomen, patria, parètes, ætas, ordo, gradus, professio, functio, si quam is foro exercuit, loca in quibus, aut Theologiæ, vel iuri Canonico operam dederit, aut longo tempore versatus fuerit, deniq; amici, ac familiares, qui tam ipsum, quàm parentes eius intimè noverint. Quòd si promouendus documentum aliquod exhibere voluerit, vnde ipseus ætas, gradus, dignitas, sacri Ordines, functio, officia muneraq; aut aliquid eiusmodi comprobetur, admittendum, ac processui inferendum erit, modò documentum publicum seu authenticum fuerit. Illud quoq; prohibendum censuimus, ac expressè prohibemus, nè ad testimonium dicendum de fide Catholica, vita, moribus, doctrina, atq; aptitudine, ad regendam Ecclesiam quilibet homines admittantur; sed viri tantum graues, pij, prudentes, docti, qui de qualitatibus promouendorum rectum iudicium ferre valeant, ac vt supradiximus, sincerum, ac fidele testimonium dare velint. Proinde tam cognati, ac nimium familiares, quàm inimici, atq; æmuli excludendi erunt. Porro testes eiusmodi Prælatus, qui examen, seu inquisitionem habiturus erit, seorsum, ac sigillatim examinabit, & si qua fide iudicauerit expedire, eis ad memoriam reducet, tum iuramenti vim, tum periurij grauitatem: eosdem etiã serio, & grauius admonebit ipsos reos futuros apud Omnipotentem Deum eorum omnium, quorum, vel committendo, vel omittendo rei erunt qui promouebuntur, si vel falsa narrando, vel reticendo vera, in causa erunt, vt homines indigni, vel minus idonei eiusmodi Ecclesijs præficiantur. Diligenter etiã testium qualitates cognoscere studebit, ac potissimum quàm sint ad promouendos affecti, vt inde coniciat vtrum ex affectu, an ex veritate testimonium dicant. Deniq; cum testes de qualitatibus promouendi interrogabit; dabit operam, vt quoad eius fieri poterit omnia, & singula, quæ ad prædictam inquisitionem facere videbuntur, per ipsos exprimentur. Quamuis autem qualitates omnes promouendorum, quæ in Generalium Synodorum decretis, alijsq; Canonicis sanctionibus continentur, probè cognitæ esse debeant, ijs, quibus inquisitionis officium demandatum est, quales sunt natum esse ex legitimo Matrimonio, atq; ex parentibus Catholicis. Annum trigessimum iam expleuisse, sacris ordinibus, saltem ante sex menses initiatum esse, gradum Doctoratus, aut licentiæ in Theologia, vel iure Canonico, aut certè publicum alicuius Academicæ testimonium obtinuisse, quoad alios docendos idoneus esse declaretur, adhuc in Ecclesiasticis functionibus diu esse versatum, item fidei puritate, Innocentia vitæ, prudentia, vsu rerum, integra fama, doctrina deniq; præditum esse; tamen quia circa doctrinam plures fraudes committi solent, & sæpè contingit, vt nonnulli scientia vacui, de solo Doctoris titulo, aut priuilegio glorientur: volumus, vt de eorum etiã doctrina diligenter inquiretur, qui, vel Doctoratus, aut licentiæ titulis, & priuilegijs gaudent, vel etiã à publicis Academicis testimonium habuerunt, quòd idonei essent ad alios docendos; nisi fortè aliquorum insignis doctrina, ex publica ipsorum functione notoria esset. Ita verò inquisitio facienda erit, vt quibus in lo-



cis, quanto tempore, & quo fructu Theologiæ, vel iuri Canonico promouendus operam dederit cognoscatur. Et quoniam in quibusdam prouinciis nulla sunt studia generalia, neq; vllæ publicæ Scholæ, neq; vsus habet, vt qui studiis operam nauant, vllis Doctoratus, aut licentiæ insignibus decorentur, declaramus in eiusmodi locis sufficere, si testimonio virorum grauium, & sacræ Theologiæ, vel iuris Canonici peritorū constet, promouēdos ea scientia Theologiæ, vel Canonum verè polere, vt idonei sint ad ea docenda, quæ populum Christianum scire oportet, ac muneris sibi iniungendi necessitati valeant satisfacere. Testes præterea deponant se de scientia promouendorū certos redditos esse ex eo, quod prædictos promouendos specimen suæ doctrinæ publicè, vel priuatim dedisse cognouerint. Quod autè ad regulares pertinet cum ad Ecclesias Cathedrales promouendi fuerint, ne fraus vlla subrepere possit, in eo, quod idem Tridentinum Concilium statuit, vt regulares à suis Superioribus sufficientis doctrinæ testimonium habeant, Declaramus nomine Superiorum eos duntaxat intelligendos esse, qui nullum sui Ordinis Superiorem agnoscunt, siue ij cuiusvis Ordinis Abbates, Magistri, aut Ministri, aut Præpositi generales, aut quarumlibet Congregationum Præsidentes, siue Definidores, aut Visitatores Capitulum generale repræsentantes, siue alij quocunq; vocabulo nominentur, & in eorum absentia ipsorum Vicarij, seu Commissarij generales, vel in Roman. Curia procuratores Ordinum, aut Congregationum generales in hac parte succedant. Et nihilominus præter superiorum testimonium, qui fidem facient eiusmodi regulares ad alios docendos idoneos esse, volumus ea seruari quæ de ijs diximus, qui publicum suæ doctrinæ ab aliqua Academia testimonium habent; vt videlicet serio inquiratur an regulares ad Cathedrales Ecclesias promouendi eos progressus in studijs fecerint, qui in futuro Antifite requiruntur. Post inquisitionem verò de fide, vita, moribus, doctrina, & prudentia promouendi, necnon informationem de statu Ecclesiæ alijsque necessarijs rebus, quæ pariter coram superius expressis Prælati iuxta eiusdem Concilij decreta fieri debet, professio fidei Catholicæ à promouendo facienda erit; quam quidem ab eo duntaxat recipendam esse declaramus, ad quem inquisitio pertinebit; nisi fortè qui professionem emissurus est à Prælato inquirente longè distet: tunc enim is Prælatus ex subdelegatione inquirentis professionem admittere debebit, cui promouendus vicinior erit, quod idem intelligatur, de informatione de statu Ecclesiæ, accipienda; si quando contingeret, vt in alia Prouincia, siue Regno esset Ecclesia, in alio promouendus. Recipiet autem Prælatus professionem promouendi præsentem Notario publico, ac testibus, atque eam à se admissam, ac receptam propriæ manus subscriptione testabitur. Is quoq; qui professionem eiusmodi fecerit, in eo loco vbi proprium nomen profitentis exprimi solet, nomen suum manu propria adscribet. Deniq; his peractis Notarius publico instrumento fidem faciet de professione prædicta adhibitis testibus, vt præfertur. Vbi verò totum examen seu inquisitio de persona promouenda perfecta fuerit, ea in instrumentum publicum redacta cum toto testimonio, ac professione fidei emissa ad hanc sanctam Sedem, vt Concilium statuit, quamprimum clausa, & obsignata in forma authentica transmittenda erit. In qua re obseruari volumus, vt professio fidei iisdem omnino verbis descripta sit, quæ in ea forma continentur, quam felicis record. Pius Papa III. Prædecessor noster statuit obseruandam, & vt Prælatus, qui instructionem, examen & inquisitionem fecit, vel per literas separatas simul ramentum cum processu mittendas, vel per subscriptionem dicti processus significet, quanta fides testibus examinatis eorumq; dictis, & scripturis productis suo iudicio habenda sit; simul etiam quid de promouendo ipse sentiat. processus autè sic formati, & ad Curiam transmissi, à Cardinale, cui proponendi munus incumbet, & à tribus prioribus Ordinum Cardinalibus, vt moris est, iuxta formam Concilij prædicti subscribentur, & expedientur. Volumus autem, vt Cardinalis relator moueat promouendum si præsens in Curia fuerit, vt iuxta Concilium Lateranen. no-



uissimè celebratum, omnes Cardinales siue maiorem partem Collegij adeant, antequam Ecclesiam proponat; ut quæ à referente Collega sint audituri, occulata fide quantum ad personam promouendi attinet cognoscere possint. Hæc porro omnia, quæ de promouendis ad Ecclesias Cathedrales dicta sunt, ad eos etiam pertinere atque in eorum promotione seruanda esse declaramus, & decernimus qui nominati presentati, aut electi fuerint, ad dignitates Abbatiales, ac Prioratus, seu Præposituras, Monasteriorum regimina, aut alias Regularium cuiusuis Ordinis, aut etiam secularium præfecturas, de quibus consistorialiter prouideri contigerit, atque eos præsertim, quibus præter curam, & regimen Monachorum, aut Canoniorum clericorumque regularium, vel secularium annexa est in populum iurisdictio spiritualis, vel temporalis, excepta tamen ætate circa quam nihil innouamus. Quo verò ad doctrinam, cum generalia Concilia non statuunt, ut personæ promouendæ ad regulares dignitates Doctoratus siue licentiæ gradum suscipere, vel publicum testimonium ab Academia aliqua habere teneantur, & tamen æquum sit, ut ea doctrina polleant, qua onus sibi impendendum sustinere valeant, declarauimus, & statuimus, ut Prælati, qui inquirendi munus suscepturi sunt, studiosè, ac diligenter inquirent super doctrina eiusmodi personarum iuxta modum, & formam superius præscriptam, ut nos, & pro tempore futuri Roman. Pontifices habita de illis vera informatione per processum qui ab inquirente transmittetur, certò statuere, ac iudicare possimus an persona promouenda verè sit talis qualem dignitas illa ad quam prouehenda est, exigit & requirit. Hortamur verò in visceribus Domini nostri Iesu Christi, ac paterna charitate monemus eos omnes, qui ab hac sancta Sede nominandi presentandi, vel etiam eligendi futuros Episcopos, vel Abbates ius habent, ut serio apud se cogitent quanti momenti sit hoc negocium ex quo salus animarum, tranquillitas Reipublicæ, incolumitas Religionis, propagatio fidei, aliaque permulta, & maxima bona dependent. Illud etiam sæpe, & sæpius ad mentem reuocent, quod sancta Tridentina Synodus admonet, nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem vtilius posse facere, quàm si bonos pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoueri studeant, eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare: nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtilis ipsi iudicauerint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium cupiditatibus; sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curauerint. De nominandis verò, presentandis, vel eligendis ad regulares dignitates præter ea quæ superius obseruanda esse declarauimus, illud quoque paternis his nostris hortationibus, & monitionibus adiiciendum censuimus, ut nominationis presentationis, vel electionis ius habentes eos deligere studeant, atque omnino contententur, qui non modò eundem ordinem sint ante professi; sed in eodem etiam satis diu laudabiliter versati: neque enim decet ut Magistri aliorum esse incipiant, qui non fuerint ante discipuli, & subditis imperare præsumant, qui prius non didicerint Superioribus obedire. Eos denique qui vel examinando, & inquirendo, vel testimonium ferendo operam suam in hac re præstabunt serio admonemus, ut ea fide, ac diligentia in negotio tanti momenti versentur, ut à Deo, & à nobis laudem pro bono opere expectare valeant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ prohibitionis, voluntatis, declarationis, decreti, statuti, hortationis, & monitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Dat. Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo primo, Idibus Maij Pontificatus nostri anno primo.

A. Card. Montaltus Summator:

M. Vestrius Barbianus.

A. de Alexis.

C O N-



CONSTITVTIO SANCTISS. D. N. DOMINI GREGORII  
diuina prouidentia Papæ XIII. Super immunitate Ecclesiæ.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam  
rei memoriam.

**C**VM alijs nonnulli prædecessores nostri, & præsertim fel. rec. Sixtus Papa Quintus, necnon Pius etiam Quintus Sancto zelo ducti, diuersas facultates, & indulta extrahendi etiam in casibus quibusdam à iure non permissi ex Ecclesijs criminosos, & delinquentes, compluribus secularibus Principibus, eorumque Curijs, & Magistratibus, sub varijs modis, & formis concesserint, prout in illis plenius continetur. Experientia postmodum docuit, tum ob diuersitatem, & differentiam huiusmodi indultorum, tum quia plerique eorundem Principum Ministri, ex hoc ipso illa diuersimodè etiam latius quàm par erat, & ad suum libitum interpretandi occasionem arripuerunt, illisque abuti cœperunt, subortam esse non mediocrem in aliquibus locis libertatis, & immunitatis Ecclesiasticæ perturbationem, & confusionem, alibi verò nè ipsos quidem laicos Indultis huiusmodi uti voluisse, aut potuisse, quòd populis inueterata erga Ecclesias reuerentia deuotis, & assuetis, scandali potius quàm quietis occasionem præberent. Illud etiam absurdum sæpenumero secutum est, vt infimæ interdum conditionis laici non modò iuris, sed etiam literarum penitus ignari, & imperiti, dum quasi potestates, aut ministri Curie secularis in aliquo Castro, aut Oppidulo iurisdictionem exercebant, facultatum, & indultorum huiusmodi limites longè excesserint, eaq; suo arbitratu in sensus minus rectos, & ab intentione concedentis omnino alienos detorserint, & illorum prætextu, quicquid sibi in mentem venit attentare præsumperint; in graue iurisdictionis, & immunitatis Ecclesiasticæ præiudicium, locorum & personarum diuino cultui dicatarum contemptum, ipsius diuinæ Maiestatis offensam, & scandalum plurimorum. Quare pro commisso nobis à Domino Pastoralis officij munere prædictis absurdis, & scandalis obuiare, ac differentias huiusmodi ad vniformem regulam reducere, omnemque dubitandi, ac perperam interpretandi occasionem dilucida declaratione submouere, abusus tollere, & nè Ecclesiastica iura planè conculcentur, & negligantur, opportunè providere decreuimus, prout etiam dictus Sixtus Prædecessor noster iisdem de causis motus statuere decreuerat, licèt morte præuentus hoc adimplere nequiuert: ita tamen vt quando præsens temporum calamitas, & nimia, quæ iam inualuit peruersorum hominum malitia id exposcit, aliquid, etiam ad terrorem delinquentium, & ad coercenda illorum facinora, vltra id, quod prisca illa maiorum nostrorum disciplina, & vetus sacrorum Canonum norma præscripserat in quibusdam casibus, congrua moderatione adhibita, permittamus. Hac itaque nostra perpetuò valitura constitutione omnia, & quæcunq; priuilegia, indulta, & gratias tam per prædictum Sixtum, ac Pium Quintum, quàm alios quoscunq; nostros Prædecessores, aut nosmetipsos, Sedemq; Apostolicam eiusve Legatos, super abducendis, vel extrahendis ab Ecclesijs, Monasterijs, Sacellis, domibus regularibus, & secularibus, locisve sacris, aut Religiosis, aliasque in casibus à iure permissis hominibus certorum tunc expressorum, vel non expressorum criminum reis, aut fraudolentis decoctoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono pacis, & quiete publica, & ex causis vrgentissimis, ac necessarijs, & æquipollentibus casibus in iure expressis, atq; ex paritate, identitate, aut maioritate rationis extensis, perperuò vel ad certum nondum elapsum tēpus, seu ad vitam alicuius Principis, aut beneplacitum, seu alijs quomodolibet concessa, etiã iteratis, aut multiplicatis vicibus, approbata, & innouata, ac vsu recepta, literasq; Apostolicas sub plumbo, aut in forma Breuis seu alijs quomodocunq; desuper confectas, quarum tenores hic haberi volumus pro expressis, ac de verob ad verbū



interitis sublata penitus omni differentia, ita ad vnam tantum formam reducimus, & moderamur, vt laicis ad Ecclesias, loca; sacra, & religiosa prædicta cõfugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidijs aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesijs earumve Cõmunijs committere non verentur, aut qui proditoriè proximum suum occiderint, aut Assassini, vel hæresis, aut læsæ Maiestatis in personam ipsiusmet Principis rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur. Sed vniuersis, & singulis Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum, & Monasteriorum Prælati, tam sæcularibus, quam cuiusvis ordinis regularibus distinctè præcipiendo mandamus, & præcipimus, vt laicos in casibus prædictis delinquentes ad eorum Ecclesias, Monasteria, domos, & alia loca supradicta sacra, seu Religiosa respectiue cõfugientes, & in eis se recipientes, atque morantes, qui prædicta delicta, eorumve aliquod, iudicio suo cõmississe videbuntur, quando, à Curia sæculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus, Ministris, & Officialibus Curie sæcularis absque irregularitatis nota, aut alicuius censuræ Ecclesiasticæ incurso tradi, & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet & faciat. Nè autem Curie sæcularis prædictæ Ministri facultate illos per se, & propria auctoritate extrahendi, & abducendi sibi olim, vt præfertur, attributa, & per præsentis reuocata, abutantur, Volumus, dictaque auctoritate decernimus, & declaramus, vt Curia sæcularis, eiusque Iudices, & Officiales, ab Ecclesijs, Monasterijs, locisque sacris prædictis laicum aliquem, vt præfertur, delinquentem in nullo ex casibus supradictis sine expressa licentia Episcopi, vel eius Officialis, & cum interuentu personæ Ecclesiasticæ ab eo auctoritatem habentis, ad quos solos, & nõ alios Episcopis inferiores, etiam si aliàs ordinarij sint, aut nullius diocesis, aut Conseruatores, ab hac sede specialiter, vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat; occurrente autem casu in loco exempto, & nullius diocesis, tunc ad Episcopum viciniorem deuoluatur hæc cognitio, & nõ ad alios, capere, extrahere, aut incarcerare non possint, nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & dictæ personæ Ecclesiasticæ requisitæ illos in delictis superius expressis culpabiles tradere, aut capturæ, & carcerationi interuenire, & assistere recusauerint; tuncque reuerentia Ecclesiæ, & locis sacris debitæ memores prædictos delinquentes minori, quo id fieri poterit cum scandalo, & tumultu extrahere curent. Quodque delinquentes laici prædicti, postquam, vt præfertur, ab Ecclesijs, locisque sacris extracti, & capti fuerint, ad carceres Curie Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto, & firmo carcere, ac opportuna custodia data illis, si opus fuerit, per Curiam sæcularem, detineri debeant, nec inde extrahi, Curieque sæculari prædictæ consignari, nec tradi possint, nisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi verè crimina superius expressa commiserint, tuncque demum, de mandato Episcopi per Iudicem Ecclesiasticum Curie sæculari, quacunque appellatione postposita, consignentur. De crimine verò hæresis cognitio ad forum Ecclesiasticum tota pertineat, & neque in ea Ecclesiasticas personas sæculares, aut cuiusvis ordinis, vel militiae etiam Sancti Iohannis Hierosolymitani regulares, quoquomodo etiam vigore prædictorum priuilegiarum, indulgarum, aut concessionum, quæ omnia ad terminos iuris per præsentem reducimus procedant, aut se intromittant; illasve ab Ecclesijs, Monasterijs, domibus, locisque sacris, aut religiosis, etiam in casibus in hac constitutione expressis extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoscere de criminibus ad forum Ecclesiasticum pertinentibus aliàs, quàm de iure, & per priuilegia eisdem ordinibus, aut militiae concessa permittitur quomodolibet præsumant. Quod si quis quacunque dignitate, & auctoritate prædictis, præmissorum, aut alio quouis prætextu, quicquam præter, aut contra huius nostræ constitutionis tenorem attentare præ-



sumpserit, declaramus eum iplo facto, censuras, & pœnas easdem incurrere, quæ contra libertatis iuris, & immunitatis Ecclesiasticæ violatores per sacros Canones, & Conciliorum generalium, nostrorumque prædecessorum constitutiones sunt promulgatæ. Sicque per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, in quauis causa, & instantia iudicari, & diffiniri debere, necnon irritum decernimus, & inane, si secus super his per quoscunque quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, tam Sixti, & Pij V. quam aliorum quorumcunque prædecessorum nostrorum, literis Apostolicis, priuilegijs, indultis, & facultatibus, quibusuis personis, etiam Imperiali, Regia, Ducali, aut alia quauis dignitate, & auctoritate fulgentibus, aut Rebus publicis, Dominijs, Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, Terris, & locis, eorumve Curijs, Parlamentis, Senatibus, Consilijs, Communitatibus, Vniuersitatibus, Collegijs, aut Præsidentibus, Proregibus, Gubernatoribus, Locatinentibus, Vicarijs, Potestatibus, alijsque Magistratibus, Officialibus, Ministris, aut Consiliarijs, ex prædictis, vel alijs, etiam grauioribus, & vrgentioribus causis; tam illorum intuitu, & contemplatione, siue ad eorum preces, & instantiam, quam etiam motu proprio, & ex certa scientia deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac per modum statuti, & legis perpetuæ, etiam in vim contractus & fratrum nostrorum consilio, sub quibuscunque tenoribus, & formis, & cum quibusuis præferuatiuis, restitutiuis, mentis attestatiuis, derogatorijs derogatorijs, alijsque validissimis, efficacissimis, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & alijs decretis, etiam si inibi caueatur expressè, quòd illis, nisi sub certis modis, & formis, & nisi de expresso eorum consensu, ad quorum fauorem concessæ fuerint, derogari possit, & aliter factæ derogationes nullius sint roboris, vel momenti, & aliàs quomodolibet concessis etiam sæpius approbatis, & innouatis. Quæ omnia, & singula, ac illorum tenores pro expressis habentes, quatenus præmissis in aliquo aduersentur, aut plures quam superius expressos casus contineant, auctoritate & tenore præmissis omnino, ac perpetuò tollimus, & abrogamus, ac ad terminos præsentis Cõstitutionis, quòd ad superius descripta duntaxat, reducimus. Et nolumus cuiquam de cætero suffragari, & qualibet alia dictæ sedis indulgètia generali vel speciali, per quæ præsentibus nõ expressa, vel de verbo ad verbũ non inserta, effectus earũ quomodolibet valeat impediri. Vt autem præsentis literæ ad omnium notitiam facilius deducantur, mandamus illas in Valuis Sancti Iohannis Lateranen. & Principis Apostolorum, Basilicarum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ de more affigi, & publicari, earum etiam exemplis inibi affixis, & dimissis, ac post publicationem huiusmodi, volumus, & decernimus, vt omnes, & singulos, quos cõcernunt, & concernent in futurum, perinde ardeant, & afficiant, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent: earundem verò præsentium transumptis, etiam impressis Notarij publici manu subscriptis eandem fidem in iudicio, & extra illud vbi que gentium, & locorum haberi volumus, quæ eisdem originalibus literis adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ moderationis, præcepti, mandatorum, decretorum, reductionum, declarationum, prohibitionis, sublationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum.

Dat. Romæ, in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo nonagesimo primo, Nono Kal. Iunij, Pontificatus nostri, Anno primo.

L. Dat.

M. Vestrius Barbianus.

A. de Alexijs.

Regi-



Registrata apud Marcellum Secretarium.

Anno à Natiuitate Domini, millesimo quingentesimo nonagesimo primo. Indictione quarta, die verò vigesima octaua Mensis Maij, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno primo, Retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in Valuis Basilicarum Principis Apostolorum de Vrbe, & S. Iohannis Lateranen. necnon Cancellariæ Apostolicæ, & Aciei Campi Floræ, vt moris est, per nos Catherinum Menardi, & Nicolaum Drouyn. Cursores.

Pompeus Guerra Magister Cursorum.

CONSTITVTIO DE LARGITIONE MVNERVM  
vtriusque sexus Regularibus interdicta.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam  
rei memoriam.

**R**eligiosæ Congregationes, ab insigni sanctitate viris Spiritus Sancti afflata institutæ, tantas Ecclesiæ Dei utilitates omni tempore attulerunt, vt ad eas conseruandas, & instaurandas Romani Pontifices prædecessores nostri, magnam iure optimo diligentiam semper adhibuerint. Nam cum ea sit rerum humanarum conditio, & natura, vt etiam quæ optimè fundata, & constituta sunt partim hominum imbecillitate, & ad malum procliuitate, partim Dæmonis astutia, paulatim deficiant, ac nisi cura peruigili sustententur, in deterius prolabantur; Idcirco Summorum Pontificum vigilantia, magnopere laborauit, vt Regularium Ordinum disciplina, aut labefactata in pristinum restitueretur, aut salutaribus Constitutionibus communita, integra atque incolumis permaneret. Quorum nos vestigijs pro eodem officij munere insistere, & Pastoralem illorum sollicitudinem ( quantum possumus ) diuina adiutrice gratia, cupimus imitari. Quare nè ex muneribus, quæ pluribus religiosæ vitæ professoribus, ex Christi patrimonio, quibusuis hominibus quauis ex causa sepè tribuuntur grauià incommoda, & mala, etiam boni specie existant, præcauere studentes; hac nostra perpetuò valitura Constitutione vniuersis, & singulis cuiuscunque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium bona immobilia, & redditus certos ex indulto Apostolico possidentium, vel non possidentium, seu cuiuscunque Congregationis, Societatis, & instituti ( non tamen militiæ ) Regularibus personis vtriuslibet sexus omnem, & quacunque largitionem, & missionem munerum penitus interdiximus. Sub qua prohibitione comprehendimus volumus omnia, & singula Capitula, Conuentus, & Congregationes, tam singulorum Conuentualium, Monasteriorum, Prioratum, Præpositurarum, Præceptoriarum, Domorum, & locorum, quàm Prouincialia, aut Generalia cuiuscunque Prouinciæ, siue vniuersi Ordinis Societatis, aut instituti: eorumque vel earum Camerarios, Commissarios, & quoscunque Officiales, singulares personas: Ipsos etiam ordinum, Congregationum, & Societatum huiusmodi Superiores quoscunque dignitates obtinentes, etiam Generales, & Prouinciales, Magistros, Ministros, & quocunque nomine præfectos, necnon Conuentuum, Monasteriorum, Prioratum, Præpositurarum, Præceptoriarum, Domorum, & locorum quorumcunque Abbates, Priores Præpositos, Præceptores, etiam maiores Guardianos, Ministros, Rectores, atq; Abbatissas, Priorissas, & alio quouis titulo præsidentes, tam ipsis regularibus, quàm locorum Ordinarijs, seu quibusuis Superioribus subiectis vtriuslibet sexus ad vitam, vel ad tempus deputatos: adeo, vt nemo vnquam eorum, vel earum directè, vel indirectè palàm, vel occultè, tam communi, quàm particulari, &

pro-



proprio nomine, etiam sub quouis statuti, vel consuetudinis, seu verius corruptele, aut alio prætextu, vel quacunque causa nisi in Generali Capitulo, aut alia Generali Congregatione re maturè discussa vnanimi consensu omnium, Superiorumque permisso causa approbata fuerit, quicquam tale attentare valeat.

Id autem ita absolutè, & generatim vetitum intelligatur, vt neque omnino fas sit quicquam donare, tam ex fructibus, redditibus, & prouentibus, collectis, vel contributionibus, aut oblationibus, siue elemosynis, aut subsidijs certis, vel incertis, ordinarijs, seu extraordinarijs, mensæ, seu massæ communis, cuiusuis fabricæ, & Sacristiæ, quorum bona communiter, vt præfertur, administrantur, seu quæ rationibus reddendis sunt obnoxia, quàm ex pecunijs, etiam, quæ à singulis quouis modo acquisitæ in commune conferendæ omnino sunt. Nec si per viam voluntariæ contributionis in commune congerantur. Nec si forsan priuatim, & nominatim cuilibet Religioso à superioribus, vel à proprijs affinibus, propinquis, familiaribus, amicis, aut beneuolis, vel à pijs Christianis, etiam elemosynæ, aut charitatis, & illius propriæ personæ intuitu attributæ, seu quoquomodo per quemlibet religiosum suo Monasterio domui, aut loco acquisitæ, eique vt ad libitum de eis disponat per Superiores concessæ fuerint: Præterquam leuiores esculenta, aut poculenta, seu ad deuotionem, vel Religionem pertinentia munuscula communitantum, nunquam verò particulari nomine (vbi Superiori de consensu Conuentus videbitur) tradenda.

Sed & huiusmodi missiones munerum ipsis religiosis vtriuslibet sexus non solum per se, verum etiam per alios, tam directè, quàm indirectè prohibitas declaramus.

Neque verò quispiam ab hac generali prohibitione se excusare valeat, etiam si munera miserit, cuius personæ laicæ, vel Ecclesiasticæ cuiuscunque status, gradus, dignitatis, ordinis, vel conditionis, & quouis non solum muadana, & Ducali, Regia, Imperiali, verum etiam Ecclesiastica, & Pontificali, aut alia maiori, etiam S. R. E. Cardinalatus dignitate fulgenti, etiam proprio loci ordinario, etiam ex causa, & occasione benedictionis, vel susceptionis habitus regularis, tonsuræ, aut professionis Monialium, tam sibi subditarum, quàm non subditarum, aut ipsi etiam proprio ordinis, vel Congregationis Protectori, Viceprotectori, Generali, vel Prouinciali, aut cuiusuis Monasterij, Prioratus, domus, aut cuiuslibet alterius loci regularis Superiori, aut alio quocunque officio, munere, aut dignitate fulgenti, vel cuiuscunque etiã simplici, & particulari Religioso. Ita vt inter ipsos quoque Religiosos (ne praua ambitione impulsus pro consequendis in sua Religione gradibus, & dignitatibus alter alterius gratiam, aut beneuolentiam aucuperetur) quæcunque largitio, aut donatio munerum (nisi rerum minimarum, de licentia expressa, & inscriptis Superiorum) sit penitus interdicta.

Insuper prohibemus, nè vnquam eisdem regularibus liceat vllas pecunias quoquomodo erogare in alicuius etiam Benefactoris, aut Protectoris, vel ordinarij honorem, etiam occasione transitus, vel primi ingressus, aut ad beneficiorum acceptorum memoriam, gratiæ animi testificationem, seu pro prædictis personis quauis auctoritate, vel dignitate fungentibus honorificè, lautè, & opiparè excipiendis, seu pro quibusuis cõuijs eisdem aut cuius alteri quacunque occasione, vel causa exhibendis, vel pro commensationibus, aut compotationibus quibusuis personis, tam eiusdem ordinis Congregationis, Monasterij, Domus, aut loci, quàm extraneis largiendis, aut pro exhibendis spectaculis, etiam pijs intra Ecclesias, Monasteria, & Domos sacras, seu pias, vel extra eas, in quibusuis publicis, aut priuatis sacris, aut profanis locis, etiam vbi Sanctorum, & Sanctarum vita, aut res prægesta, etiam in memoriam Passionis Dominicæ populis spectandæ proponuntur, aut alias in prædictis, siue in quibusuis rebus superuacaneis ad pompam, & ostentationem, aut ad oblectationem, vel paucorum lucrum, & priuata commoda quomodolibet pertinen-



tibus, nisi, re ipsa pro diuino cultu, & veris Christi pauperum indigentis, seruato in hoc charitatis ordine, & habita necessitatis ratione, de consilio, & consensu Superiorum subleuandis, aut aliàs in rebus licitis, & per capitulum generale, aut Prouinciale non prohibitis, vel taxam ibi forsitan præscriptam non excedentibus sumptus huiusmodi fiant.

Declarantes tamen per hæc laudabilem, & Apostolica doctrina sacrisque Canonibus commendatam hospitalitatem præsertim erga pauperes, & peregrinos, nequaquam, imminui, aut prohiberi. Quinimo si qui redditus ad id vel ex fundatione, vel ex institutis, statutis, aut consuetudinibus aliquorum Monasteriorum, ordinum, aut regularium huiusmodi locorum, aut ex testatorum, vel donantiũ voluntatibus siue aliàs applicati, aut donati sunt, eos omnino (vt decet) integrè in vsus pios hospitalitatis huiusmodi erogandos esse; & præsertim in Monasterijs, seu locis desertis, & ab laicorum ædibus longius remotis; vbi tamen pauperum, & verè egenorum ratio in primis habeatur.

Si quos verò diutius occasione transitus, siue aliàs ex deuotionis, aut necessitatis causa eò diuertere contigerit, eos sanè deceret, Refectorio communi cum religiosi, mensa; & ferculis communibus, nequaquam à cæteris distinctis contentos esse. Verùm omnino ipsi regulares in hospitibus huiusmodi potentioribus excipiendis ita se gerant, vt in eis frugalitas, & paupertas religiosa prorsus eluceat.

Parietiam ratione districtè inhibemus, ne quispiam ex prædictis Laicus aliàs, quàm vt superius dictum est, vel Clericus secularis, vel regularis quocunque honore, præminentia, nobilitate, aut excellentia etiam S. R. E. Cardinalatus dignitate præditus etiam Protector, Viceprotector, loci ordinarius, Prelatus Generalis, Prouincialis, aut Monasterij, domus, vel loci cuiuslibet superior, eorumve affines propinqui familiares, aut ministri vtriuslibet sexus, quicquam cõtra hanc superius expressam prohibitionem recipiant.

Quod si, vel ab aliquo particulari religioso, vel à superiore quopiam Generali Prouinciali, aut alio quocunque officio fungente, aut à Conuentu, Capitulo vel Congregatione; siue ab vniuerso ordine, & Religione quicquã receperint; id quod acceperint suum non faciant. Verùm ipso facto absque aliqua monitione Iudicis decreto, sententia, aut declaratione ad illius restitutionem omnino in vtroque foro teneantur: adeo vt restitutione ipsa realiter non facta, neq; etiam in foro conscientie absolui possint.

Hanc autem restitutionem fieri volumus non priuatim ei Religioso, qui donauit, sed ei Monasterio, domui, vel alteri loco de cuius bonis facta est largitio, vel si non de eius bonis donatum est, in quo idem Religiosus donans professionem emisit, vel si nomine totius Capituli, Conuentus, aut Congregationis, vel vniuersi ordinis, seu Religionis donatio facta extiterit, pariter communi mensæ, aut massæ cuius nomine donatum fuerit, accepta munera restituantur: ita vt nec qui donauit, nec Conuentus, Capitulum, Congregatio, ordo, aut religio, cui restitutio facienda est, illam remittere, & iterum condonare, aut recipientem ab obligatione restituendi eximere, vel vt in pauperes eroget concedere quoquomodo possit.

Quòd si quis ex supradictis regulatibus vtriuslibet sexus cuiuscunque gradus, ordinis, dignitatis, ac vbiilibet locorum existentibus coniunctim, cum cæteris, seu diuisim nostrarum huiusmodi prohibitionum, statutorum, ordinationum, iussionum, decretorum, mandatorum transgressor fuerit; statuimus, vt omnibus, & singulis per eum obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus, & officijs eo ipso priuatus, ac ad illa & alia similia, vel dissimilia in futurum obtinenda inhabilis perpetuò, & incapax, ac perpetua infamia & ignominia notatus existat. Et præterea priuationem vocis actiue, & passiuæ absque vlllo Superioris decreto, aut ministerio ipso facto incurrat, necnon vltra huiusmodi pœnas, etiam tanquam contra furti, & simonię criminum reum, tam per viam denuntiationis, accusationis, aut querelæ, quàm etiam



ex officio procedi, & inquiri, condignisque supplicijs affici debeat.

Pœnis alijs à iure statutis, ac per alias Constitutiones Apostolicas, aut propria cuiusvis ordinis Congregationis, Monasterij, domus, aut loci, statuta, vel consuetudines contra personas aliquid præmissorum committentes forsân decretis, & inflis, nihilominus in suo robore permanfuris.

Quocirca vniuersis, & singulis modernis, & pro tempore existentibus locorum ordinarijs, eorumque Vicarijs, & Officialibus, necnon quorumcunque Ordinum, Prioratum, Monasteriorum, & domorum Superioribus, etiam Generalibus, seu Prouincialibus, ceterisque ad quos spectat, per Apostolica scripta mandamus; qua tenus ipsi, & eorum singuli, quantum ad eos pertinet, curent omni studio, diligentia, auctoritate, & vigilantia præsentem Constitutionem firmiter, & inuolatè obseruari, & contra inobedientes, vel transgressores condignis pœnis animaduerti Eisdem inobedientes, necnon contradictores quoslibet, & rebelles per opportuna iuris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc ( si opus fuerit) auxilio brachij secularis.

Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, dictorumque Monasteriorum, Prioratum, domorum, locorum, necnon Ordinum Congregationum, Collegiorum, iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus: priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel ad verbum non inserta effectus præsentis nostræ Constitutionis impediri quomodolibet valeat, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis. Quæ omnia quatenus præmissis in aliquo aduersentur, prorsus tollimus, & abrogamus, ceterisque contrarijs quibuscunque.

Volumus autem, vt præsentis literæ in Valuis S. Io. Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe Basilicarum, & in Acie Campi Floræ publicentur affixis inibi earum exemplis, & dimissis. Quodque earum exempla, seu illorum compendia in libris quorumcunque statutorum prædictorum Monasteriorum, Prioratum, Collegiorum, Domorum, Ordinum, & Congregationum (quò ad Moniales, in vernaculâ, & vulgarem cuiusque Regionis sermonem versa) & à loci ordinario, qui id quamprimùm fieri curet, subscripta inferantur, & saltem quotannis in capitulis, siue Congregationibus cuiusque earum alta, & intelligibili voce legantur. Et nihilominus post sexaginta dies à die publicationis (vt præfertur) in Romana Curia faciendâ vnumquemque citra montes, vltra montes verò post quatuor menses, perinde ardeant, & afficiant, ac si cuique personaliter intimatæ, & per eos iuratæ fuissent.

Quodque earum transumptis etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ ob signatis eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud vbique adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum, interdicti, prohibitionis, declarationis, inhibitionis, statuti, mandati, sublationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum.

Datum Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, tertio decimo Kalen. Iulij Pontificatus nostri anno tertio.

L. Card. Prodat.

M. Vestrius Barb' a ius.

A. de Alexijs.

Regi-



Registrata apud Marcellum Secretarium.

In nomine, & à Natiuitate Domini, millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, Indictione septima, die verò secunda Mensis Iulij, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis diuina prouidentia Papæ Octaui, Anno tertio. Retroscriptæ literæ publicatæ, & affixæ fuerunt in Acie Campi Floræ, & alijs locis publicis, & consuetis, per nos Prosperum Spada, & Franciscum de Bonis, eiusdem S. D. N. Cursores.

Ita est Franciscus de Bonis S. D. N. PP. Curf.

Gabriel Sauarellus Curforum Magister.

F I N I S.